nem illam dumtaxat intelligi, quæ fit ad levandum infirmi tædium & mœrorem, ſed maxime obſequium, & miniſterium infirmo exhibitum ad pellendam ægritudinem & recuperandam ſanitatem. Qua de re egregius eſt apud *S. Gregorium Nazianzenum* locus Oratione 15. De Pauperibus amandis. *Curemus*, inquit, *non minus aliorum corpora, quam ſuum quiſque corpus, ſeu comoda valetudine ſit, ſeu eodem modo conſumatur. Omnes enim in Domino ſumus, ſive divei, ſive pauper, ſive ſervus, ſive liber, ſive ſanus, ſive æger: atque unum omnium caput, ex quo omnia, Chriſtus. Quodque membra inter ſe ſunt, hoc unum alteri, atque omnibus omnes. Ac proinde minime committendum, ut eos, qui prius in communem infirmitatem inciderunt, contemnamus, & negligamus: nec magis gaudendum nobis eſt, quod commoda valetudine utimur, quam lugendum, quod fratres miſera, & afflicta. Quin potius ita exiſtimare debemus, corporum, & animarum noſtrarum ſalutem in hoc uno poſitam eſſe, ut eos miſericordia proſequamur ..... O ſerve Chriſti, ac Dei, & hominum amore prædite, ne degenerem, atque ignavum animum geras, verum fide ſubnitere. Miſericordia timiditatem Dei, metus mollitiem vincat, rationes eas, quæ carni favent, pietas ſuperet. Ne fratrem deſpicias, ne prætereas, ne ut ſcelus, ut piaculum, ut aliud quiddam fugiendum, & execrandum averſeris. Membrum tuum eſt, tametſi calamitate curvetur. Tibi, licet animo admodum forti præterea, pauper relictus eſt ut Deo ... Quiſquis navigat naufragio propinquus eſt, eoque magis, quo audacius navigat: & quiſquis corpus gerit, corporis malis propinquus eſt, eoque magis, quo erectior incedit, nec eos, qui ante ſe jacent, intuetur. Dum ſecundo vento navigas, ei qui naufragium facit, manum porrige: dum ſanus es, & locuples, afflicto fer opem. Ne expectes, dum, quantum malum ſit inhumanitas, in teipſo diſcas, quamtumque bonum viſcera egentibus aperire. Ne experiri velis Deum adverſus eos, qui cervicem attollunt, ac pauperes prætereunt, manus extendentem. In alienis calamitatibus hæc diſce, egenti parum aliquid tribue, neque enim parvum eſt ei, qui omnibus rebus caret; immo ne ipſi quidem Deo, ſi viribus par ſit. Summi muneris loco animi promptitudinem dona: ſi nihil habes, illacryma. Magnum calamitoſo remedium eſt miſeratio ex animo collata: ac vere, & ſincere condolere, calamitatem magna ex parte levat. Homo apud te jumento vilior non eſt, quod cum in foveam incidit, aut aberravit, erigere, ac reducere tibi Lex præſcribit.*

Proximo adverſus quamcumque vim, & injuriam extrinſecus illatam, ſubveniendum.

Ad redemptionem captivorum, ſeu detentorum in carcere ob debita, quibus ſolvendis non ſunt, revocatur miſericordia, qua proximo adverſus quamcumque vim, & injuriam extrinſecus illatam ſubvenitur, (inquit *S. Thom.*) Qua de re *S. Ambroſius*, Lib. 2. *de Officiis*, cap. 15. ſcribit. *Summa liberalitas captivos redimere, eripere ex hoſtium manibus, ſubtrahere neci homines, & maxime fœminas turpitudini, reddere parentibus liberos, parentes liberis, cives patriæ reſtituere ... Præcipua eſt igitur liberalitas redimere captivos, & maxime ab hoſte barbaro, qui nihil deferat humanitatis ad miſericordiam, niſi quod avaritia reſervaverit. Æs alienum ſubire, ſi debitor ſolvendo non ſit, atque arctetur ad ſolutionem, quæ ſit jure debita, & inopia deſtituta: enutrire parvulos, pupillos tueri. Sunt etiam, qui virgines orbatas parentibus, tuendæ pudicitiæ gratia, connubio locent, nec ſolum ſtudio, ſed etiam ſumptu adjuvent.*

Vaſa ſacra ad redemptionem captivorum, & alimoniam pauperum in extrema neceſſitate frangi, conflari, & vendi poſſunt, Epiſcoporum auctoritate, & mandato.

Ad redemptionem captivorum, ad ſepulturam Fidelium, ad alimoniam pauperum, vaſa etiam ſacra frangi poſſe, & quandoque debere conflari, vendi, *S. Ambr.* docet cap. 28. *Aurum*, inquit, *Sacramenta non quærunt; neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus Sacramentorum, redemptio captivorum eſt. Et vere illa ſunt vaſa pretioſa, quæ redimunt animas a morte. Ille verus theſaurus eſt Domini, qui operatur, quod Sanguis ejus operatus eſt. Tunc vas Dominici Sanguinis agnoſco, cum in utroque videro redemptionem: ut Calix ab hoſte redimat, quos Sanguis ab hoſte redemit*, Id *S. Laurentii* Martyris exemplo ſe præſtitiſſe *S. Ambr.* reſtatur, & Arianorum invidiam propterea ſubiiſſe. Et infra ſubdit: *Sane ſi in ſua quis derivat emolumenta, crimen eſt; ſin vero pauperibus erogat, captivum redimit, miſericordia eſt. Nemo enim poteſt dicere, Cur pauper vivit. Nemo poteſt queri, quia captivi redempti ſunt. Nemo poteſt accuſare, quia templum Dei ædificatum eſt: nemo poteſt indignari quia humandis Fidelium reliquiis ſpatia laxata ſunt: nemo poteſt dolere, quia in ſepulturis Chriſtianorum requies defunctorum eſt. In his tribus generibus vaſa Eccleſiæ etiam initiata refringere, conflare, vendere licet.*

S. Ambr. L. 2. de Officiis, c. 21.

Concil. quoque Remenſe anno circiter 1630. can. 22. *Miniſteria Sancta*, ſeu vaſa ſacra, *frangere* permittit Epiſcopo, *ſi evenerit ardua neceſſitas pro redemptione captivorum.*

Hoſpitalitas.

Inter opera Miſericordiæ corporalis plurimum etiam commendatur hoſpitalitas. Unde *Abraham pro hoſpitalitatis mercede fructum poſteritatis recepit. Loth propter hoſpitalitatis affectum Sodomitana a ſe, ſuiſque ſupplicia detorſit. In officiis autem hoſpitalibus omnibus quidem humanitas impartienda eſt: juſtis autem uberior deferenda honorificentia.* Quicumque enim juſtum recepperit in nomine juſti, mercedem juſti accipiet, *ut Dominus pronuntiavit. Vides, quia Abraham Deum recepit hoſpitio, dum hoſpites quærit? Vides, quia Loth Angelos ſuſcepit? Quis ſcit an & tu, cum ſuſcipis hoſpitem, ſuſcipias Chriſtum? Cum in hoſpite ſit Chriſtus, quia Chriſtus in paupere eſt* Hinc Epiſcopum *hoſpitalem* eſſe oportere *S. Paulus* ſcribit: & inter bona opera, quibus Viduam Chriſtianam commendari optat, hoſpitalitatis officium recenſet; *Si hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit.*

Matth. 10. — 1. Tim. 5.

Opera miſericordiæ ſpiritualis.

Opera Miſericordiæ ſpiritualis ſeptem pariter numerantur, ſcilicet ignorantes docere, conſilium præbere dubitantibus, afflictos conſolari, peccantes corrigere, offenſas remittere iis, qui læſerunt, aliorum defectus, & infirmitates tolerare, pro omnibus orare: quæ hic Verſus complectitur:

Conſule, carpe, doce, ſolare, remitte, fer, ora.

Variis Scripturæ Sacræ teſtimoniis commendatur. Eccl. 18. *Qui miſericordiam habet, docet, & erudit quaſi paſtor gregem ſuum.* Ad Gal. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum:* 2. ad Theſſ. 3. *Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & non comiſceamini cum illo, ut confundatur: & nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem.* 1. ad Theſſ. 4. *Conſolamini invicem in verbis iſtis.* Luc. 6. *Eſtote ergo miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Nolite judicare, & non judicabimini; nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittemini.* Matth. 6. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus; nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Matth. 18. *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum. Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Ad Rom. 15. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.* Ad Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Matth. 5. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.* Jac. 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini ∴ Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum, ſcire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Correptio peccantium inter opera miſericordiæ merito numeratur. Quamvis enim in executione actus ſeveritatem juſtitiæ continere videatur: quantum ad intetionem tamen corripientis, qui vult hominem a malo culpæ liberare, pertinet ad miſericordiam, & dilectionis affectum: ſecundum illud Prov. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula blandientis.*

De utroque Miſericordiæ genere, & obligatione illam exercendi, hæc habet *S. Gregor. Nazianz.* Orat. 16. *De Pauperibus amandis*, inſcripta: *Tu vero, ſiquidem majora quoque potes, & quibus anima beneficio afficitur: ne his quoque de indigente bene mereri abſiſte: immo primum, ac potiſſimum hæc ei, qui abs te petit, dona, priuſque etiam, quam poſtulet, tota die miſerans, ac ſermonem commodans, ſortemque cum fœnore ſedulo exiges, hoc eſt, ejus, cui utilitas affertur, incrementum; quod quidem doctrina ſemper adjungit, quiſquis pietatis ſemina in ſeipſo paullatim auget. Sin hæc largiri nequis, hæc ſecunda, & minora, & quæ ſub facultatem tuam cadunt, præſta: ſubveni, cibum præbe, detritum panem porrige, medicamentum adhibe, vulnus alliga, de calamitate aliquid percontare, de patientia orationem habe.*

Salubris conſilii ſuggeſtio, miſericordiæ opus eſt.

De miſericordia ſpirituali, quæ in ſalubris conſilii ſuggeſtione poſita eſt, hæc *S. Ambr.* Lib. 2. *De Officiis*, c. 15. *Sunt* inquit, *plerique etiam viri boni, qui tenues ſunt cenſu, contenti quidem exiguo ad ſui uſum, ſed non idonei ad ſubſidium levandæ paupertatis alienæ. Tamen ſuppetit aliud beneficentiæ genus, quo juvare poſſunt inferiorem. Eſt enim duplex liberalitas, una, quæ ſubſidio rei adjuvat, ideſt, uſu pecuniæ: altera quæ operarum collatione impenditur, multo frequenter ſplendidior, multoque clarior ∴ Quanto utilius Regem Pharaonem S. Joſeph conſilio providentiæ juvit, quam ſi contuliſſet pecuniam? Pecunia enim unius civitatis non redimit libertatem, proſpicientia totius Ægypti per ſeptennium famem repulit. Facile autem pecunia conſumitur, conſilia exhauriri neſciunt. Hæc uſu augentur, pecunia minuitur; & cito deficit, atque ipſam deſtituit benignitatem: ut quo pluribus largiri volueris, eo pauciores adjuves; & ſæpe tibi deſit, quod aliis conferendum putaveris. Conſilii autem collatio, quo in plures diffunditur, eo redundantior manet, & in ſuum fontem recurrit.*

Eleemoſyna ſacrificium Chriſtiani.

De Miſericordia, quæ in condonatione injuriarum verſatur, dicemus alias opportunius. Illud interim ex *S. Auguſt.* accipe Serm. 42. alias 29. ex Homiliis 56. *Sacrificium*, inquit, *Chriſtiani, eſt eleemoſyna in paupere. Hinc enim fit Deus peccatis propitius. Niſi autem peccatis propitius fiat Deus, quis remanet, niſi reus? Ab eis peccatis, & delictis, ſine quibus vita iſta non ducitur, mundantur homines per eleemoſynas: quæ ſunt duorum generum, erogando, & remittendo: erogando, quod habes bonum: remittendo quod pateris malum. Hæc duo genera eleemoſynarum Dominus Magiſter bonus, quam breviter fuerit complexus, audite:* Remittite, *inquit*, & remittetur vobis, date, & dabitur vobis. *Remittite, & remittetur vobis, pertinet ad ignoſcendum: Date & dabitur vobis, pertinet ad erogandum. Ex illa eleemoſyna, qua ingoſcis*

Fit duobus modis, erogando, & remittendo.

Luc. 6. 37.

hemi-

homini; nihil perdis. Ecce ſtatim veniam petit, ignovisti, nihil amiſiſti. Caritate amplior domum rediſti.

De peccantium fraterna correptione alias etiam agemus.

Servato affectu dilectionis, adhibendum flagellum correptionis.

Sufficiat impræſentiarum illa *S. Auguſtini* Sententia Serm. 5. alias 1. ex iis, quos edidit Sirmondus: *Sicut*, inquit, *Deus diligit, & tamen corripit: ſic & tu ſi habes aliquem in poteſtate, quamvis ſerves affectum dilectionis, noli tamen negare flagellum correptionis. Quia ſi negaveris, non tenebis dilectionem: quia ille moritur in peccatis, qui forte correptus ea relinqueret: & magis tibi imputatur verum odium.*

R E G U L A XVI.

Lethalis Obdurationis adverſus Miſericordiam reus eſt creditor, qui debitorem, quem ſolvendo non eſſe conſtat, urget, opprimitque, ut ſolvat, nec inducias ipſi concedit.

De obduratione adverſus miſericordiam. Iſaiæ 50.

Hanc Regulam Deus per Iſaiam tradit, Judæis declarans, Jejunium illorum Deo gratum non eſſe ob vitia ipſum contaminantia, præſertim vero, quod a debitoribus ſuis, qui ſolvendo non erant, debita exigerent acerbius. *Ecce*, inquit, *in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis . . . . . Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter.*

Matth. 18.

Eamdem Regulam tradit Chriſtus Dominus propoſita Parabola de Rege rationem a ſervis ſuis exigente, quorum unus decem millium talentorum debitor non habebat, unde redderet: cui debitum omne dimiſit. Ille vero unum e conſervis, qui debebat ipſi centum denarios, rogantem inducias ad ſolvendum, oppreſſit, & in carcerem miſit. Quem vocavit Dominus, & his verbis increpuit. *Serve nequam, omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nonne ergo oportuit, & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum?* &c.

Quia creditoribus ſuis ſolvere non valentibus, debita exigunt acerbius, contra caritatem, & juſtitiam peccant.

Hoc Moralis Chriſtianæ caput confirmat *S. Auguſt.* Serm. 239. alias de Tempore, 146. *Noli*, inquit, *te avertere ab eo, qui multum petit, ſed tantum accipe, quantum dediſti. Non ploret, cui dediſti, nam beneficium perdidiſti. Et ſi hoc ipſum, quod datum eſt, vel quod accepit, exigitur, forte ad manum nondum habet; pertuliſti petentem, expecta non habentem: cum habuerit, reddet tibi. Noli clamare, & dicere, Numquid fœnus quæro? Tantum peto quantum dedi, quod dedi, hoc accipiam. Bene facis, ſed nondum habet. Non es fœnerator, & vis cui præſtitiſti, ut quærat fœneratorem, ut tibi reddat? Si propterea fœnus non exigis, ne te fœneratorem patiatur, quare vis, ut propter te alium fœneratorem patiatur? Premis, ſuffocas. Et ſi tantum exigis quantum dediſti; ſuffocando tamen, & anguſtias faciendo, non beneficium dediſti, ſed potius majores anguſtias intuliſti. Sed forte dicis, Habet unde reddat: habet domum, vendat, habet poſſeſſionem, vendat. Quando a te petivit, ideo petivit, ne venderet: propter te non faciat, qui ſubveniſti, ne fieret. Hoc fiat ita circa homines, hoc jubet Deus, hoc vult Deus.*

Non ſolum vero contra caritatem, ſed & contra naturalem ipſam æquitatem peccant, qui a debitoribus ſuis, quos ſolvendo non eſſe conſtat, debita exigunt acerbius, nec ipſis inducias concedere volunt. Unde Judices, qui medii ſunt inter inſtantiam, ſeu perſecutionem creditorum, & moram debitorum, ſua Sententia interdum ſtatuunt ſolutionis terminum, & debitori dilationem concedant pro perſonarum, ſummæque ratione. Inducias autem illas invito quandoque creditore debitoribus conceſſas Jus Civile diſertis verbis approbat l. *Si debitori*, tit. *De Judiciis*, Dig. 5. & l. *Promiſſor*, 21. tit. *de Pecunia conſtituta*, Dig. 13. Item leg. 1. & 2. C. tit. *De Uſuris rei judicatæ*. Lex *Si bene collocata*, 23. *de Uſuris*, lib. 22. Dig. tit. 1. ait, Creditorem præbere ſe non debere *Acerbum exactorem, nec contumelioſum, ſed moderatum, & cum efficacia benignum, & cum inſtantia humanum*. Sic loquitur *Ulpianus*, ex Chriſtiana fere Diſciplina. *Theodoricus* Gothorum Rex Sipontinis Negotiatoribus, qui ſe dicebant hoſtium populatione vaſtatos, concedit privilegium, ne per annos duos continuos a creditoribus poſſent fatigari: quatenus his induciis & datam poſſint reparare pecuniam creditores ipſi, & aliquatenus debitorum valeat reſpirare ſubſtantia. *Quid enim*, inquit, *proficit creditorem urgere, quando incaſſum nititur nudatos exigere? Quibus magis proſpicimus, ſi ad mutuata ſuſtinendo pervenire faciamus.* Refert *Caſſiodorus* lib. 1. *Variarum*, Ep. 38.

R E G U L A XVII.

Lethalis Obdurationis adverſus Miſericordiam reus eſt, qui agrorum ſuorum, aut vinearum colono, ſive conductori, penſionem non remittit pro rata gravis incommodi, ſive damni ex ſterilitate, aut alio caſu fortuito, abſque ipſius coloni, ſeu conductoris culpa, aut vitio rei contingente.

Nec ſolum adverſus Miſericordiam, verum & adverſus Juſtitiam peccat. Utroque enim Jure ſancitum eſt, ut in hujuſmodi caſibus remiſſio fiat annuæ penſionis pro rata damni, & incommodi: niſi forte ſterilitas anni præcedentis, vel ſubſequentis valeat ubertate compenſari. Ita *Gregorius IX.* reſpondet; *c. Propter*, Ext. *De Locato, & Conducto*, cujus hæc ſunt verba: *Propter ſterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei, ſine culpa coloni, ſeu caſu fortuito contingentem, colonis Eccleſia tua pro rata eſt penſionis remiſſio facienda; niſi cum ubertate præcedentis, vel ſubſequentis anni valeat ſterilitas compenſari.*

Id confirmatur ex L. *Licet certis*, Lib. 4. C. tit. 65. & L. *Ex conducto*, Lib. 19. *Digeſtorum*, tit. 2.

A R T I C U L U S XI.

De Prodigalitate.

PRodigalitas peccatum eſt Avaritiæ oppoſitum, & cum liberalitatis virtute pariter pugnans. *Differunt autem Avaritia, & Prodigalitas ſecundum ſuperabundantiam, & defectum diverſimode*, (inquit *S. Th.* 2. 2. qu. 119. art. 1.) *Nam in affectione divitiarum avarus ſuperabundat, plus debito eas diligens: prodigus autem deficit, minus debito earum ſollicitudinem gerens. Circa exteriora vero ad prodigalitatem pertinet excedere quidem in dando, deficere autem in retinendo, & acquirendo; ad avaritiam autem pertinet e contrario deficere quidem in dando, ſuperabundare autem in accipiendo, & retinendo.* Prodigalitatem peccatum eſſe, ex eo confirmatur, quod divites, quamvis bonorum ſuorum temporalium domini ſint, Dominum tamen ſuperiorem habent, cujus eſt terra, & plenitudo ejus, qui per Prophetam ait: *Meum eſt aurum, & meum eſt argentum*; qui hominibus temporalia dedit ad utendum, ſeipſum ad fruendum. Non ergo divitiis uti poſſunt homines prout libet; ſed ſecundum voluntatem Dei, & leges ab ipſo poſitas; alioqui illas jure non poſſident. *Nam tunc quiſque habere aliquid dicendus eſt, quando bene utitur.* Et *Quod juſte non tractat, jure non tenet*; (inquit *S. Aug.* Serm. 1. alias *de Diverſis* 15.)

De Prodigalitate.

Hinc Chriſtus Diſcipulos, & in iis Fideles omnes propoſitis parabolis erudiens, ſimilitudinem Villici inter alias propoſuit. *Ut exemplo hujus perſonæ nihil eſſe noſtrum in ſæculo iſto ſignaret; ſed nobis creditam eſſe diſpenſationem facultatum Domini noſtri, vel ad utendum ex eis ſufficienter cum gratiarum actione, vel ad diſtribuendum conſervis, prout cuique opus eſt: nec licere nobis paſſim facultatibus abuti commiſſis, aut in expenſas uſurpare ſuperfluas, cum ſit erogationis ratio Domino venienti reddenda.* Verba ſunt *S. Gaudentii*, Serm. 18.

Luc. 16.

Hinc *S. Ambroſius* Lib. 2. *De Officiis*, c. 21. *Non prodigos*, inquit, *nos docet eſſe Scriptura, ſed liberales. Largitatis enim duo ſunt genera; unum liberalitatis, alterum prodigæ effuſionis. Liberale eſt hoſpitio ſuſcipere, nudum veſtire, redimere captivos, non habentes ſumptum juvare: prodigum eſt ſumptuoſis effluere conviviis, & vino plurimo. Unde legiſti:* Prodigum eſt vinum, & contumelioſa ebrietas. *Prodigum eſt, popularis favoris gratia exinanire proprias opes. Quod faciunt, qui ludis circenſibus, vel etiam theatralibus, & muneribus gladiatoriis, vel etiam venationibus patrimonium dilapidant ſuum, ut vincant ſuperiorum celebritates, cum totum illud ſit inane, quod agunt. Quandoquidem etiam bonorum operum ſumptibus immoderatum eſſe non deceat. Pulcra liberalitas erga ipſos quoque pauperes menſuram tenere, ut abundes pluribus; non conciliandi favoris gratia ultra modum fluere. Quicquid ex affectu puro, ac ſincero promitur, hoc eſt decorum: non ſuperfluas ædificationes aggredi, nec prætermittere neceſſarias. Et maxime Sacerdotes hoc convenit, ornare Templum Dei decore congruo, ut etiam hoc cultu Aula Domini reſplendeat; impenſas miſericordiæ convenientes frequentare, quantum oporteat largiri peregrinis, non ſuperflua, ſed competentia; non redundantia, ſed congrua humanitati; ne ſumptu pauperum alienam ſibi quærat gratiam: ne reſtrictiorem erga Clericos, aut indulgentiorem ſe præbeat. Alterum enim inhumanum, alterum prodigum: ſi aut ſumptus deſit neceſſitati eorum, quos a ſordidis negotiationis aucupiis retrahere debeat; aut voluptati ſuperfluat.*

Prov. 20.

R E G U L A P R I M A.

Quamvis Prodigalitas veniale tantum peccatum ſit ex genere ſuo, quatenus cum ſola liberalitate pugnat: lethale tamen peccatum eſt, cum aliquis res ſuas prodigit contra Regulas Caritatis, & Juſtitiæ, ſeu ob finem utrique illi Virtuti oppoſitum.

Sic lethalis peccati rei ſunt, qui bona ſua profundunt, & decoquunt in commeſſationibus, & ebrietate, in ſcortationibus, alea, luxu, & quovis illicitarum voluptatum genere; ut Filius ille Prodigus, qui *Diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſe*, ut dicitur *Lucæ* 15. Quod expendens *S. Aug.* Lib. 2. Quæſtionum Evangelicarum, q. 33. ait: *Hanc vitam prodigam vocat, amantem fundere, atque ſpatiari pompis exterioribus, intus inaneſcentem, cum ea quiſque ſequitur, quæ ab illa procedunt, & relinquit eum, qui ſibi eſt interior.*

Lethalis prodigalitatis rei ſunt, quicumque cum gravi aliorum damno, vel ſcandalo bona ſua profundunt.

Qui lethalis prodigalitatis rei.

Item tutores, & curatores, qui bona pupillorum; Diſpenſatores, Oeconomi, Adminiſtri, qui bona ſuæ fidei commiſſa

Nobiles, Mercatores, & quicumque bona creditorum de coquere non verentur; Pater familias, qui ſuarum pecuniarum profuſione uxori, & liberis graviter nocet, eis non providendo neceſſaria: & mulieres, quæ in mundo muliebri, & ſuperfluo veſtium ornatu ſumptus immodicos faciunt. De quibus *Tertullianus*, Lib. *De Cultu Feminarum*, c. 8. ſcribit: *De breviſſimis loculis patrimonium grande profertur. Uno lino decies ſeſtertium inſeritur. Saltus, & inſulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium cutes calendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum uſurarum ſubſtantiam uno, & muliebri corpuſculo bajulare.*

De prodigalitate.

Lethalis tandem prodigalitatis rei ſunt, quos ſumptus inutiles, vani, immoderati impediunt ab erogandis eleemoſynis ex illis, quæ ſunt ipſis habita ſtatus, & dignitatis ratione ſuperflua. Immodicos, & inutiles ſumptus ſervi, aut Oeconomi ſui, rerumque profuſionem ſuarum ab ipſis factam nemo probaret. Qua igitur fronte homines, quibus rerum temporalium poſſeſſionem quidem, ſed tamen ad rectum uſum, & diſpenſationem Deus ſupremus omnium rerum, hominumque Dominus conceſſit, rationes ſuas ipſi probandas ſperant, niſi fideliter illas adminiſtrent, & diſpenſent? *Placet tibi, homo, ſervus tuus fidelis, & tu non vis eſſe Deo ſervus fidelis? Attendis, quia habes ſervum, attende, quia habes Dominum. Servum tuum potuiſti comparare, non creare: Dominus tuus & verbo ſuo creavit te, & Sanguine ſuo redemit te. Si viluiſti tibi, recole pretium: & hoc oblitus es, lege Evangelium, inſtrumentum tuum. Fidem amas in ſervo tuo, & Dominus tuus non quærit eam in ſuo? Redde quod exigis. Quod tibi gaudes reddi ab inferiore, redde Superiori. Amas ſervum, qui fideliter cuſtodit aurum tuum: noli contemnere Dominum, qui miſericorditer cuſtodit cor tuum.* Verba ſunt *S. Aug.* Serm. 36. alias *De Tempore* 212.

R E G U L A II.

Lethalis eſt, ut plurimum, Clericorum Prodigalitas, qui Redditus Eccleſiaſticos in ſumptus inanes profundunt.

Prodigalitas Clericorum quam grave peccatum.

Hæc Regula colligitur ex *S. Th.* 2. 2. qu. 119. art. 2. in Reſponſione ad 1. *Prodigus*, inquit, *peccat in ſeipſum, dum bona ſua conſumit, unde vivere deberet: peccat etiam in alterum conſumendo bona, ex quibus deberet aliis providere. Et præcipue hoc apparet in Clericis, qui ſunt diſpenſatores bonorum Eccleſiæ, quæ ſunt pauperum, quos defraudant, prodige expendendo.* Quo ſpectat & illud *S. Bernardi*. Tractatu *De Moribus, & Officio Epiſcoporum*, ſive Epiſtola ad *Henricum* Senonenſem Archiepiſcopum, c. 2. *Diſcite Pontifices, non quidem in ſancto, ſed in fræno, quid facit aurum? Quam tolerabilius cernitur in ſancto, quam in fræno! Hoc me etiam tacente, etſi non Curia Regum, tamen penuria pauperum clamat. Sileat licet fama, ſed non fames. Fama quidem ſilet, quia non poteſt mundus odiſſe vos. Nam quomodo arguet mundus peccatum, a quo potius laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur? Clamant vero nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt ... Nobis frigore, & fame miſerabiliter laborantibus quid conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, vel plicata in manticis? Noſtrum eſt, quod effunditis: nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plaſmatio, & nos Chriſti Sanguine redempti ſumus. Nos ergo, fratres veſtri, videte, quale ſit de fraterna portione paſcere oculos veſtros: vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias. Noſtris neceſſitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus veſtris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos ſpoliando premitis.*

Hinc rurſus *S. Th.* Quodlibeto 6. qu. 8. art. 1. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quod neque moderatus uſus divitiarum, neque bona fides diſpenſatorum ſalvari videtur in eo, qui ſcienter ſuperfluas expenſas facit in voluptuoſis conviviis, & aliis hujuſmodi ſuperfluitatibus; & ideo non eſt dubium, quod in talibus peccat mortaliter ... Si autem aliquis non multum in talibus excedat, poteſt bona fide fieri ab aliquo, qui vult ſecundum decentiam ſui ſtatus morem gerere his, quibus convivit.*

C A P U T VII.

De uſura, Immani avaritiæ ſobole.

A R T I C U L U S P R I M U S.

Quid ſit Uſura.

Uſuræ definitio explicatur.

USURA eſt lucrum ex mutuo exactum, aut ſperatum. Lucri nomine acceſſio quævis ad ſortem intelligitur, ſive pecuniæ, ſive rei alterius pecunia æſtimabilis, ut explicat Conc. Trid. Catechiſmus. *Eſt autem uſura*, inquit, *quicquid præter ſortem, & caput illud, quod datum eſt, accipitur, ſive pecunia ſit, ſive quidvis aliud, quod emi, aut æſtimari poſſit pecunia: ſic enim apud Ezechielem ſcriptum eſt:* USURAM, & *ſuperabundantiam non acceperis.* Et Dominus apud Lucam: MUTUUM *date, nihil inde ſperantes.* Quibus verbis fontes indigitat, ex quibus illa Uſuræ definitio eſt derivata. Sors hic dicitur ſumma principalis, ſeu capitalis, quam aliquis mutuo dat. Exigere aliquid ultra ſortem, eſt exigere aliquid ultra ſummam principalem, quæ mutuo tradita eſt, ratione ipſius mutui: v. g. ſi mille aureos des alteri ea lege, ut intra tale temporis ſpatium totidem aureos tibi reddat, & ſupra illam ſummam triginta plus vel minus.

Ezech. 18.

Sola etiam voluntate, & intentione uſura committitur.

Dicitur lucrum *ex mutuo exactum, vel ſperatum*; quoniam ſola etiam voluntate, & intentione uſura committitur. Cum enim alia ſit realis, mentalis altera: utramque complectitur definitio. Exactio lucri ex mutuo ſpectat uſuram realem: ſpes vero lucri ex mutuo uſuram mentalem. Prima externo opere completur; ſecunda in voluntate ſiſtit; in prima pactum intervenit, ſeu expreſſum, ſeu tacitum reddendi aliquid ultra ſortem: in ſecunda nullum pactum intercedit, vi cujus fœneratitium lucrum a mutuante percipiatur. Exempli gratia, Joannes, qui probitatis, & honeſtatis laudem ambit, Jacobo dat mutuo centum aureos, poſt ſemeſtre reddendos, nulla de quovis lucro, aut acceſſione ad ſortem intercedente pactione: ſed tamen ſperat Jacobum ſummæ capitali inter ſolutionem, aliquot aureos, ut a pleriſque fieri ſolet, additurum. Elapſo ſemeſtri Jacobus reddit ſummam capitalem, adjicit ſex aureos, plus minus: Joannes, & ſortem & ſortis acceſſionem lubens accipit, quam ſperaverat: quapropter mentalis uſuræ reus eſt.

Si quid accipitur a mutuatario, non ratione mutui, ſed alio juſto titulo, vel ut munus gratuitum, nec ſperatum, non eſt uſura.

Si tamen aliquid mutuans accipiat a mutuatario, non ratione mutui, ſive ob pecuniam mutuo datam, ſed alio titulo, ſive ob aliam cauſam, damni ſcilicet vere emergentis, aut lucri ceſſantis, aut quovis alio juſto titulo, ſervatis ſervandis, omnique malitiæ velamine remoto, ab uſuræ labe immunis eſt; ſicut ſi accipiat, ut gratuitum omnino munus, nec ſperatum, ut docet *S. Th.* 2. 2. q. 78. art. 9. *Si vero*, inquit, *accipiat aliquid hujuſmodi, non quaſi exigens, nec quaſi ex aliqua obligatione tacita, vel expreſſa, ſed ſicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuaſſet, licite poterat aliquod donum gratis accipere, nec pejoris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit. Recompenſationem vero eorum, quæ pecunia non menſurantur, licet pro mutuo exigere, puta, & benevolentiam, & amorem ejus, cui mutuatur, vel aliquid hujuſmodi.* Et in Reſponſione ad tertiam objectionem: *Si aliquis ex pecunia mutuata expectet, vel exigat, quaſi per obligationem pacti taciti, vel expreſſi compenſationem muneris ab obſequio, vel a lingua; perinde eſt, ac expectaret, vel exigeret munus a manu, quia utrumque pecunia æſtimari poteſt, ut patet in his, qui locant operas ſuas, quas manu, vel lingua exercent. Si vero munus ab obſequio, vel a lingua non quaſi ex obligatione rei exhibeatur, ſed ex benevolentia, quæ ſub æſtimationem pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expectare.*

De Uſuris.

Quælibet ad ſortem acceſſio, uſura eſt.

Hæc Uſuræ definitio, Patrum, & Theologorum illuſtriorum calculis approbatur. *Uſura eſt mutui redundantia*; (inquit *Tertull.* Lib. 4. contra Marcionem) *Uſura eſt, ſi plus quam ſortem acceperis*; (inquit *S. Baſilius* in Pſal. 14.) *Uſura eſt quodcumque ſorti accedit*; (inquit *S. Ambroſius*, Lib. *de Tobia*, c. 14.) *Uſura eſt, ſi plus acceperis, quam dederis*, (inquit *S. Hieronymus*, in cap. 18. Ezechielis.) *Uſura eſt, ſi plus, quam dediſti expectes accipere*: (inquit *S. Aug.* in Pſal. 36.) *Uſura eſt, ubi amplius requiritur, quam datur*; inquit Conc. Agathenſe.) *Uſura eſt, cum quis plus exigit in pecunia, aut in aliqua alia re, quam dederit*; inquit Magiſter Sentent. lib. 3. diſt. 37. *Uſura eſt pretium pro uſu rei mutuo datæ, quæ uſum non habet*; (inquit *S. Thom.* 2. 2. quæſt. 78. art. 1.) Quoniam autem pretium illud, quod pro uſu pecuniæ, vel rei cujuſque mutuo datæ exigitur, in creditoris emolumentum, ac lucrum tranſit, & inique ad ſortem accedit: idcirco idem valet pretium uſus rei mutuo datæ exigere, aut ſperare, quod lucrum ex mutuo, ſive acceſſionem ad ſortem exigere, aut ſperare; licet verba ipſa differre videantur: cum res mutuo data uſum non habeat, qui locari, ac pretio æſtimari poſſit, ſiquidem ipſo uſu conſumitur. *Uſura* (inquit *S. Antoninus* p. 2. tit. 1. c. 7. §. 1.) *Eſt lucrum ex mutuo principaliter intentum.* Quam vocem, *Principaliter*, ſcrupuloſiores quidam Auctores immerito rejiciunt, cum innoxia ſit, ſi ſano ſenſu accipiatur, prout accipit S. Archipræſul definitionem illam explicans. *Principaliter dicitur, propter ſecundariam intentionem, quæ non inducit uſuram. Dicitur autem intentio principalis hæc, cum ſcilicet magis movetur ad mutuandum propter lucrum, quod ſperat ſibi evenire, quam propter aliud. Sed intentio ſecundaria dicitur, quando etſi ſperat aliquid ſibi dari ab eo, cui mutuavit ex liberalitate, tamen non illud eum movet, ſed magis benevolentia, ita quod etiamſi non crederet ſibi aliquid dari ultra ſortem, adhuc tamen mutuaret. Sic enim principalis ſpes, & intentio ad temporale inducit ſimoniam, & non ſecundaria, in collatione ſpiritualium, ut habetur expreſſe* diſtinct. 83. Quid enim prodeſt, *in Gloſſa*, & diſt. 59. canon. Si Officia: *Ita & in mutuo principalis intentio ad lucrum inducit uſuram, non ſecundaria .·. Et nota, quod intentio principalis ad lucrum, non ſolum in principio mutuationis, ſed etiam habita poſtea, etſi a principio non habuerit, inducit uſuram. Puta, mutuat quis proximo mere ex caritate, poſt menſem ſubintrat cogitatio mentem ejus de lucro ſibi dando ab eo, cui mutuavit, & ita inficitur; quod ſi non ſperaret aliquid recipere ultra ſortem, repeteret mutuatum, ſed propter illud lucrum dimittit. Certe talis uſurarius eſt.* 1. q. 1. can. Fertur §. Vulnerato. *Et ſi quid ultra ſortem recipit, quamvis ille daret non exactus, ſeu propria ſponte, tenetur reſtituere.*

Antonino tradita explicatur.

Uſuræ definitio a S. Antonino tradita explicatur.

De Uſuris.

A R T I C U L U S II.

Quid ſit Mutuum.

Mutui definitio explicatur.

Mutuum eſt contractus re initus, quo res, quæ pondere, numero, & menſura conſtant, ea lege alteri dantur ad abuſum, ut non eadem quidem ſpecie, ſed eadem genere reddantur, ſalvata pari quantitate, ac ſimili qualitate.

Dicitur *Contractus re initus*, quod mutuo commune eſt cum depoſito, commodato, & pignore. Subditur, *Quo res, quæ pondere, & menſura conſtant*, quibus verbis mutui materia explicatur. Mutuum enim in iis rebus conſiſtit, quæ facilem comparationem, ac promiſcuum uſum habent, & quæ ſola quantitate, & qualitate intra idem genus ſpectata, ac ſervata, æquabiliter inter ſe dando, & reddendo mutuantur. Unde quantitate magis, quam corpore conſtare, ac valere dicuntur, quia ſola quantitate ſervata, inter ſe comparantur, & exæquantur; cum una æque utilis ſit, & æque proſit, ac altera: modo par quantitas intra idem genus ſervetur. Quod in ceteris rebus, quæ ſuo uſu non conſumuntur, adeoque mutui materia non ſunt, non reperitur. Nam equus ab equo uſu plurimum differt, vixque evenit ut uſu, & commoditate ſimilis ſit alteri. Unde fit, ut in iis rebus corpus magis ſpectetur, quam quantitas, nec una pro alia, etiam intra idem genus reddi poſſit, ut equus pro equo, bos pro bove. Hinc *Juſtinianus*, L. 3. *Inſtitutionum*, tit. 15. ait: *Re contrahitur obligatio, veluti Mutui datione. Mutui autem datio in iis rebus conſiſtit, quæ pondere, numero, menſura conſtant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, ære, argento, auro: quas res, aut numerando, aut metiendo, aut appendendo in hoc damus, ut accipientium fiant.*

Subditur, *dantur ad abuſum*, ad quem ſcilicet natura ſua ordinantur: earum enim rerum uſus, ad quem per ſe referuntur, abuſus earum eſt. Dicitur autem hic abuſus Juriſconſultorum more, ac ſenſu, non uſus ille perverſus, ac pravus, quo res ipſæ, quibus abutimur, a proprio fine adducuntur ad quem factæ, aut inſtitutæ ſunt: ſed uſus ipſe quo res illas, quibus utimur, conſumimus, aut diſtrahimus utendo. Quo ſenſu *Boetius*, in Topica *Ciceronis*: ait: *Utimur iis, quæ nobis utentibus permanent: iis vero abutimur, quæ nobis utentibus pereunt.* Hac autem in re mutuum differt a commodato, depoſito, & pignore. Quamvis enim hæc ipſæ res, quæ mutuo dantur, deponi, pignori dari, ac etiam ad pompam, & oſtentationem commodari poſſint; revera tamen neque depoſito, neque pignore, neque commodato dantur ad abuſum; ſed depoſito dantur ad cuſtodiam; pignore vero ad ſecuritatem; commodato demum ad pompam, & oſtentationem. Ex quo efficitur, ut eædem ipſæ res, quæ deponuntur, commodantur, aut pignori dantur, reddi debeant, non aliæ: cum tamen eæ ipſæ res mutuo datæ non debeant reddi, ſed æquales, & intra idem genus, cum ad abuſum dentur, ſuoque ipſo uſu conſumantur. Unde Paulus Juriſconſultus Lib. 2. D. tit. *De Rebus Creditis*, ait, *Mutuum damus recepturi non eadem ſpecie quam dedimus, alioquin commodatum erit, aut depoſitum, ſed idem genus: nam ſi aliud genus, veluti ut pro tritico vinum recipiamus, non erit mutuum.*

De Uſuris.

Dicitur, *ea lege ut non eadem quidem ſpecie, ſed eadem genere reddantur*, quibus verbis mutuum & a donatione, & a permutatione differt: a donatione quidem, qua aliquid ita datur, ut nihil reddi debeat: a permutatione vero, in qua res unius generis pro re alterius generis redditur: v. g. frumentum pro vino. Differt etiam hac in re Mutuum a commodato, depoſito, pignore, precario: quibus in contractibus interponitur fides reddendæ ejuſdem rei. Hinc ſequitur, Mutuum alienationem continere. Unde *Juſtinianus* Lib. 3. *Inſtitutionum*, tit. 15. ait: *Quoniam nobis non eadem res, ſed aliæ ejuſdem naturæ, & qualitatis redduntur: inde etiam mutuum appellatum eſt; quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat. Et ex eo Contractu naſcitur actio, quæ vocatur Condictio.* Et *Paulus* Juriſconſultus L. 2. Dig. tit. *De Rebus Creditis*, ait: *Appellata eſt Mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit: & ideo ſi non fiat tuum, non naſcitur obligatio.* Quamobrem in mutuo neceſſe eſt ut ille, qui dat, dominus ſit, ut rei dominium in alterum transferre poſſit, ut obſervat idem Juriſconſultus: *In mutui datione*, inquit, *oportet Dominum eſſe dantem.* Quamobrem ſi fur nummos tibi credendi animo dedit, quia eos accipientis non facit, mutuum non contrahitur, neque inde obligatio, aut condictio, ſeu actio in perſonam naſcitur, ut tradit *Ulpianus*, Lib. 13. Dig. tit. *De rebus Creditis.* Sive autem inde mutuum dictum ſit, quod ex meo tuum fiat, ſive quod mutationem quamdam complectatur, ac deſignet; quia nimirum eædem ipſæ res, quæ mutuo dantur, ſuoque uſu conſumuntur, reddi nequeunt; & præterea viciſſitudo quædam dandi, & accipiendi inter creditorem, & debitorem interveniat, certum eſt mutuo dominium rei in accipientem transferri: ſi dans mutuum dominus ſit, & voluntatem habeat alienandi, ac tranſferendi dominii rei, quam dat, in illum, qui ab ipſo mutuatur. Unde pupillus mutuum dare ſine tutoris auctoritate non poteſt, quia ei ſine tutoris auctoritate alienare non licet, ut tradit *Juſtinianus*, Lib. 2. *Inſtitutionum*, tit. 8. Traditione autem rei mutuo datæ non ſolum fit ejus alienatio, ſed ſimul pariter obligatio in debitore; qua non quidem eam ipſam rem, quam accipit, teneatur reddere, ſed ſimilem intra idem genus.

Additur denique in definitione, *Servata pari quantitate, ac ſimili qualitate*: ut perfecta æqualitas in mutuo ſervanda indicetur. Unde *Pomponius* Juriſconſultus, L. 3. *Dig.* tit. *De Rebus Creditis*, ait: *Cum quid mutuum dederimus, etſi non cavimus, ut æque bonum nobis redderetur, non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere ſit, reddere: veluti vinum novum pro vetere: nam in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum eſt: id autem agi intelligitur, ut ejuſdem generis, & eadem bonitate ſolvatur, quod datum ſit.*

A R T I C U L U S III.

An Uſura prohibita ſit omnis: Erga omnes: Et quo Jure.

De Uſuris.

Calvinus pluribus in locis, præſertim vero in Commentariis *Ezechielis*, ad cap. 18. & in Expoſitione Decalogi, Uſuram aut fœnus tuetur, ſi a divitibus, non a pauperibus exigatur, modumque legibus definitum ſervet, aſſeritque Uſurarum, ac fœnoris prohibitionem, quę in Veteri Teſtamento legitur, ad ordinem politicum pertinuiſſe, ac proinde cum ipſa Lege Veteri obſoleviſſe; cum inter judicialia, non inter moralia præcepta numeranda ſit, niſi quatenus legem naturalem continet, qua vetatur, ne aliis faciamus, quod nobis fieri nolumus. *Carolus Molinæus* in ſuo *De Uſuris* Tract. *Calvini* ſententiam ſecutus, Uſuram, ſi moderata ſit, modumque a legibus definitum ſervet, honeſtam, ac juſtam eſſe contendit, aſſeritque ipſam neque cum Lege Divina, neque cum Naturali pugnare, niſi gravis ſit, & mordax, vel a pauperibus, aut indigentibus exigatur, non vero ſi levis, ac moderata ſit, & divitibus, ac negotiatoribus, qui res ſuas ex pecunia mutuo accepta amplificant, exigatur, ac percipiatur. *Salmaſius* Lib. *de Uſuris*, aſſerit uſuram per ſe honeſtam, & juſtam eſſe, eo nomine, quod locatæ pecuniæ merces eſſe videatur: illamque Evangelicæ Legi contrariam non eſſe, quamvis Judæis erga Judæos Veteri lege vetita fuerit; non quidem tamquam per ſe mala, ſed tamquam politico illorum regimini, civilique ſocietati parum conſentanea. Alii Hereticorum illorum hominum veſtigiis inſiſtentes, lucrum illud, quod ultra ſortem a mercatoribus, aliiſve hominibus, qui res familiares amplificant, exigitur, non ſolum honeſtum, ac juſtum, divinæque legi, ac naturali conſentaneum eſſe, ſed ne uſuram quidem, ac fœnus nominandum eſſe pertinaciter contendant: id enim ſolum uſuram, ac fœnus eſſe dicendum, quod a pauperibus, aut indigentibus exigitur. Quocirca duplex mutui genus excogitarunt, ac diſtinxerunt: unum, quo res ad conſumptionem datur; alterum, quo datur ad negotiationem: aſſeruntque uſuram in mutuo conſumptionis, quod plerumque cum pauperibus, & indigentibus contrahitur, verſari ſolum, non in mutuo negotiationis, quod cum mercatoribus contrahitur iiſve hominibus, qui res familiares augent. Has Sententias Hæreticas eſſe nemo Catholicus dubitaverit, ſecundum Conc. Viennenſis ſub *Clemente V.* Definitionem: *Si quis*, inquit, *in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum: decernimus velut Hæreticum puniendum. Locorum nihilominus Ordinariis, & Hæreticæ Pravitatis Inquiſitoribus diſtrictius injungentes, ut contra eos, quos de errore hujuſmodi diffamatos invenerint, aut ſuſpectos, tamquam contra diffamatos, vel ſuſpectos de hæreſi procedere non omittant.*

Calvinus, Molinæus, & Salmaſius Uſurarum patroni.

De Uſuris.

P R O P O S I T I O I.

Uſura omnis, ſive lucrum, aut acceſſio, quando ultra ſortem mutuo datam exigitur, ſive a pauperibus, & indigentibus, ſive a divitibus, Mercatoribus, iiſve hominibus, qui res ſuas amplificant, quantumvis moderata ſit, per ſe turpis, ac injuſta eſt, Legique Naturæ contraria.

De Uſuris. Ethnici ipſi uſuram omnem fugiendam docent.

Id ipſorum Philoſophorum Ethnicorum teſtimonio probatur, qui ſolum Animæ nullis præjudiciis occupatæ judicium ſecuti, uſuram omnem fugiendam eſſe docuerunt, & velut naturæ repugnantem damnarunt. Sic *Plato* Lib. 5. *De Legibus*, ſic *Ariſtoteles* Lib. 1. *Politicorum*, c. 7. *Optima ratione*, inquit, *omnibus odio eſt ars fœneratrix, quod ab ipſo nummo quæſtus fiat, & non, ad quam rem paratus eſt, uſurpetur: permutationis enim gratia inſtitutus eſt; fœnus autem nummum auget, ac multiplicat, unde & nomen habet, & τόκος dicitur, quaſi partus: ſimilia enim ſunt ea, quæ gignuntur iis, quæ gignunt, ac procreant: in fœnore autem pecunia*

cunia pecuniæ partus, ac fœtus eſt. Quamobrem hæc ipſa quærendæ pecuniæ ratio maxime omnium abhorret a natura. Et Lib. 4. Ethicorum, *Fœneratores* non minus quam *Lenones* inter illos numerat, qui illiberales operas præſtant, ſordidaſque artes exercent, qui *Accipiunt, unde non oportet, & quantum non oportet.* Legi poteſt & *Plutarchus* in Opuſculo de re edito. Hinc *Seneca* Lib. 7. *De Beneficiis*, ait: *Quid fœnus, & Kalendarium, & uſura, niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina;* Et *Suidas* ex *Ariſtophane* in *Nubibus*, ait: *Uſuram eſſe feram quamdam belluam, quæ per menſes, & dies amplius argenti ſemper gignit ſerpente tempore.* Hinc illud Catonis, *Quid fœnerari? Quid hominem occidere?* Graviſſimum ergo ſemper fuiſſe hoc facinus, etiam apud Gentiles, & maxime odioſum, merito aſſerit Concilii Tridentini Catechiſmus.

Uſura omni naturæ juri adverſatur.

Quod *Ariſtoteles* ſcite dixit uſuram eo nomine contra naturam eſſe, quod pecuniam per ſe ſterilem & quæ nullam vim pariendi a natura, aut a lege accepit, ſed ad res vitæ neceſſarias, utiles, aut commodas comparandas inſtituta eſt, ordinataque, ut ſit medium commutationis, præſidium indigentiæ, uſurarius ad quæſtum ex ipſis nummis immediate faciendum referat, quaſi idem medium, & finis eſſe poſſit: Hanc (inquam) rationem SS. Patres approbant, ipſaque utuntur ad uſuræ perverſitatem, ac iniquitatem oſtendendam, ſcilicet. *S. Gregorius Nyſſenus*, Hom. 4. in Eccleſiaſten. *O acerbas nuptias!* inquit, *o improbam conjunctionem! Quam natura quidem non cognovit, avarorum autem morbus inter inanimata innovavit. O graves & moleſtos conceptus, e quibus hujuſmodi fœtus ideſt fœnus enaſcitur! In rebus ſolum, quæ ſunt, vivunt, ac ſentiunt, diſcrimen invenitur ſexus maris, & feminæ, eis enim dixit Creator Deus,* Creſcite & multiplicamini, *ut per mutuam inter ſe generationem augerentur, ac multiplicarentur, quæ gignuntur animantia: nummi, aut fœtus, ſeu fœnus, ex quonam conſiſtit matrimonio? ex quanam perficitur conceptione? Ceterum ex Propheta didici, quæ ſit hujus fœtus conceptio:* Ecce *parturit injuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Hic eſt ille partus quem parturiit quidem avaritia, parit autem iniquitas, & obſtetricatur inhumanitas.*

Pſal. 7. 15.

Et *S. Baſilius* in Pſal. 4. *Genus hoc avaritiæ;* inquit, *partus appellatur ob multiplex mali germen atque fœcunditatem. Semina omnia ſuo tempore naſcuntur, animalia quoque præſtituto tempore ſuos edunt fœtus: fœnus hodie naſcitur: hodie parere incipit. Animalia, quæ cito pariunt, cito etiam a partu deſiſtunt: pecuniæ vero ſtatim pariunt, & acceſſionem cum tempore recipiunt infinitam. Quæ creſcendi vim habent, ubi ad convenientem ſibi juſtamque ſtaturæ magnitudinem pervenere, augeri deſinunt: pecunia vero avari omni tempore augeſcit, accretionis nullus eſt finis. Animalia ubi pariendi vices ceſſerunt ſoboli ſuæ, non jam ulterius impregnantur: fœneratorum pecuniæ, etiam quæ ſuccreverunt, ſtatim pariunt, & veteres renovantur.* Hunc *Baſilii* locum imitatur, & amplificat *S. Ambr.* Lib. *De Tobia*, cap. 13.

De Uſuris.

Leo denique X. in Conc. Lateranenſi ſeſſ. 10. *Prompta eſt,* inquit, *Uſurarum interpretatio, quando videlicet ex uſu rei, quæ non germinat, nullo labore, nullo ſumptu, nullove periculo lucrum, fœtuſque conquiri ſtudetur.*

Præterea, Contra jus naturæ pugnat duplicem compenſationem pro una, eademque re exigere, ſive rem eamdem bis vendere, aut id vendere, quod non eſt: ſed qui fœnerantur, bis idem vendunt, aut certe id vendunt, quod non eſt: naturæ itaque jus evertunt.

Prior Propoſitio nota eſt: violatur enim æqualitas, dum plus exigitur quam fuerit datum, contra illud Juris Principium L. 9. *Cod.* Tit. De non numerata pecunia. *Ultra id quod accepit, re obligari neminem poſſe conſtat.* Et L. 17. *Dig.* Tit. De Pactis: *Re non poteſt obligatio contrahi, niſi quatenus, datum ſit.*

Secunda Propoſitio ſic probatur: Qui ex mutuo aliquam acceſſionem ad ſortem exigit; vel exigit illam, percipitque ratione ſortis, ſive pecuniæ mutuo datæ, aut ratione uſus ipſius: ſi ratione ſortis mutuo datæ percipiatur, duplicem pro una eademque re compenſationem recipit, ſiquidem & totam ſortem, ſeu ſummam capitalem mutuo datam exigit, ac percipit, & præterea acceſſionem, ſeu uſuras. Bis itaque rem eamdem vendit, ut ait Conc. Trid. Catechiſmus. Si vero pro uſu pecuniæ ſeu rei alterius pecuniæ æſtimabilis mutuo datæ exigit aliquid ultra ſortem, id vendit, quod non eſt: nam uſus pecuniæ, ſeu rei alterius mutuo datæ ab ipſa pecunia, ſive re, ac proprietate ejus ſeparari non poteſt, neque ſeparatam ab illa æſtimationem habet. Siquidem in rebus, quæ uſu conſumuntur, uſus rei ſeorſim a re ipſa æſtimari non poteſt, v. gr. uſus frumenti ſeorſim a frumento. Unde *Joannes* 22. in Extrav. *Ad conditorem*, ait: *Dicite, quod in rebus, quæ uſu conſumuntur, uſus juris, vel facti ſeparatus a proprietate rei, ſeu dominio poſſit conſtitui, repugnat juri, & obviat rationi.* Et paullo poſt: *In rebus conſumptibilibus nec jus utendi, nec uſus facti ſeparati a rei proprietate, ſe dominio poſſunt conſtitui, vel haberi.* Et rationem ſtatim ſubjicit, *quoniam ſcilicet uſusfructus, & uſus, jus quoddam eſt rebus alienis utendi, fruendive, ſalva earum ſubſtantia: quod quidem in rebus, quæ uſu conſumuntur, fieri non poteſt.* In rebus igitur illis, quæ ſuo uſu conſumuntur, neque jus illis utendi in alteram transferri poteſt, retenta earum ipſarum rerum proprietate, neque in illis ipſis rebus jus utendi fruendique conſtitui poteſt, ſalva earum ipſarum ſubſtantia; ut tradit *Juſtinianus* Lib. 2. *Inſtitutionum*. Tit. 4. *Conſtituatur*, inquit, *uſus-fructus non tantum in fundo, & ædibus; verum etiam in ſervis, & jumentis, & ceteris rebus, exceptis iis, quæ ipſo uſu conſumuntur. Nam hæ res neque naturali ratione, neque civili recipiunt uſumfructum: quo in numero ſunt vinum, oleum, frumentum, veſtimenta, quibus proxima eſt pecunia numerata: namque ipſo uſu aſſidua permutatione quodammodo extinguitur.* Quamobrem ſicut is, ſeorſim qui vellet vendere triticum, & ſeorſim uſum illius tritici, facinus attentaret rationi, jurique naturali plane repugnans, quia rem eamdem bis vendere vellet, aut certe vendere rem, quæ non eſt: ita qui pro pecunia mutuo data tantumdem pecuniæ recipit, & inſuper aliquid pretio æſtimabile pro ipſius pecuniæ uſu, jus naturæ aperte violat, & evertit.

De Uſuris.

Confirmatur: Iniquiſſimum eſt pretium exigere, ac percipere pro re, quæ non eſt ſua; uſus porro rei mutuo datæ non eſt creditoris, ſed debitoris, in quem per mutuum transfertur dominium pecuniæ, ſeu rei alterius mutuo datæ, & quæ uſu conſumi poteſt, ſimul cum rei ipſius uſu. Siquidem mutuum inde appellatum, *Quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat: adeo ut, ſi non fiat tuum, nulla naſcatur obligatio,* ut Paulus Juriſconſultus L. 2. *Dig.* Tit. *De Rebus Creditis*, & *Juſtinianus* Lib. 3. *Inſtitutionum*, Tit. 14. tradunt. Unde ſi res mutuo data pereat, non perit creditori, ſed debitori, ut *Juſtinianus* docet, Lib. 3. *Inſtitutionum*, Tit. 15. *Is, inquit, cui res aliqua utenda datur, ideſt, commodatur, re obligatur, & tenetur commodati actione. Sed is ab eo, qui mutuum accepit, longe diſtat: namque non ita res datur, ut ejus fiat: & ob id de ea re ipſa reſtituenda tenetur. Et is quidem, qui mutuum accepit, ſi quolibet fortaſſis caſu amiſerit, quod accepit, veluti ruina, incendio, naufragio, aut latronum, hoſtiumve incurſu, nihilominus obligatus remanet. At is, qui utendum accepit, ſane quidem exactam diligentiam cuſtodiendæ rei præſtare jubetur; nec ſufficit ei tantam diligentiam adhibuiſſe, quantam ſuis rebus adhibere ſolitus eſt, ſi modo alius diligentior poterat eam rem cuſtodire: ſed propter majorem vim, majoreſve caſus non tenetur, ſi modo non ipſius culpa is caſus intervenit.*

Idem rurſus confirmatur ex diſcrimine, quod intercedit inter pecuniam, & res ceteras. Quædam enim ſunt, quorum uſus non eſt ipſa rei conſumptio, ſicut uſus domus eſt inhabitatio, non diſſipatio: & ideo in his dominium ſeorſim ab uſu, vel uſus ſeorſim a dominio concedi poteſt: ſic aliquis transfert dominium domus in alterum, reſervato ſibi uſu ad tempus; vel contra concedit alteri uſum domus, reſervato ſibi ejus dominio: & propterea licet exigere pretium pro uſu domus, & repetere domum commodatam, ſicut patet in conductione, & locatione domus. Pecunia vero in eum præcipue finem inſtituta eſt, ut commutationibus ſerviat, rebuſque neceſſariis, & utilibus comparandis: unde proprius, & præcipuus pecuniæ uſus eſt ipſius conſumptio, ſive diſtractio, quatenus in commutationes expenditur. Quamobrem illicitum eſt pro uſu pecuniæ mutuo datæ accipere pretium, quod dicitur Uſura.

Hæ rationes, quæ Uſuram omnem illicitam, ac per ſe malam eſſe probant, tam moderatam quam gravem, ac mordacem; tam eam, quæ a divitibus, & negotiatoribus, quam quæ a pauperibus exigitur, & præcipitur, ex *S. Th.* depromptæ ſunt in 3. Sentent. diſt. 47. qu. 1. art. 6. in Quæſtionibus Diſputatis, qu. 13. *De Malo*, art. 4. Quodlibeto 3. qu. 7. art. 2. & 2. 2. qu. 78. art. 1. In his autem omnibus locis Uſuram omnem *Secundum ſe injuſtam, quia venditur id, quod non eſt; per quod manifeſte inæqualitas conſtituitur, quæ juſtitiæ contrariatur;* aſſerit Angelicus Doctor: vel *Dare pecuniam mutuo ad Uſuram, eſſe peccatum mortale. Nec ideo eſſe peccatum quia eſt prohibitum: ſed potius ideo eſſe prohibitum, quia eſt ſecundum ſe peccatum: eſt enim contra juſtitiam naturalem.*

De Uſuris.

PROPOSITIO II.

Uſura omnis, ſive lucrum, & acceſſio, quæ ultra ſortem mutuo datam exigitur, & percipitur, ſive a pauperibus, ſive a divitibus, Divinæ Legi repugnat.

Scriptum eſt enim Deut. 23. *Non fœnerabis fratri ad Uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno: fratri autem tuo abſque uſura id, quod indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo.* Frater eſt omnis homo: a quocumque igitur homine uſuram pecuniæ, & fœnus frugum, ac etiam cujuſcumque alterius rei exigere lex vetat, non ſolum gravem, ſed etiam quicquid ſorti accedit; non ſolum a pauperibus, ſed etiam a divitibus, & mercatoribus, qui pecunia mutuo accepta, & Negotiationi expoſita, res ſuas amplificant. Hæc porro prohibitio non ad præcepta Judicialia, ſeu Politica, ſed ad Moralia referenda eſt: ſiquidem eo loco utuntur SS. Patres, ut probent uſuram tam Veteri, quam Nova Lege vetitam eſſe Chriſtianis hominibus, cum per ſe turpis, & injuſta ſit, ſcilicet *Clemens Alexandr.* Lib. 2. Stromatum, *S. Ambr.* Lib. *De Tobia*, cap. 14. & 15. & alii.

Uſura omnis Divina Lege damnatur, ſive a divitibus, ſive a pauperibus exigatur.

Fru-

Fruſtra opponitur Uſuræ, ac fœnoris Patronis, exactionem Uſurarum ab alienigena Judæis hac lege permitti; adeoque uſuram non eſſe per ſe malam, ac injuſtam: Reſponſio enim in promptu eſt, id ad duritiam cordis Judæorum permitti, quamvis iniquum ſit, vel idcirco, quod Deus in alienigenarum bona, quæ fœnore percipiebantur, jus alienigenarum bona, quæ fœnore percipiebantur, jus alienigenarum, quod Judæis concederet, vel denique quod de Amalecitis, Amorrhæis, aliiſque vicinioribus populis, cum quibus jus erat belli, & quorum ſedes Deus populo ſuo tradiderat, ageretur. Nam & fœnus belli genus eſt. Hæc Reſponſio SS. *Ambroſium*, & *Thomam* auctores habet. Ita *S. Ambroſius*, Lib. *De Tobia*, cap. 4. *Sed forte dices, quia ſcriptum eſt: Alienigenæ non fœnerabis, & non conſideras quid Evangelium dicat, quod eſt plenius. Sed hoc interim ſequeſtremus, legis ipſius verba conſidera:* Fratri tuo, *inquit*, non fœnerabis ad uſuram, ſed ab alienigena exiges. *Quis erat tunc alienigena, niſi Amalech, niſi Amorrhæus, niſi hoſtes? ibi, inquit, Uſuram exige. Cui merito nocere deſideras, cui jure inferuntur arma, huic legitime inducuntur Uſuræ. Quem bello non potes facile vincere, de hoc cito potes centeſima vindicare te. Ab hoc uſuram exige, quem non ſit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui uſuram flagitat: ſine gladio ſeſe hoſte ulciſcitur, qui fuerit Uſurarius exactor inimici. Ergo ubi jus belli, ibi etiam jus uſuræ. Frater autem tuus omnis, Fidei primum, deinde Romani Juris eſt populus:* Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te: *Denique etiam in Levitico præſcribit lex uſuram a fratre non eſſe poſcendam. Sic enim habet:* Et vivet frater tuus tecum; pecuniam tuam non dabis illi in uſuram, & in amplius recipiendum non dabis illi eſcas tuas. *Generaliter hac Sententia Dei omne ſortis excluſit augmentum.*

Qua ratione exactio Uſurarum ab alienigena Judæis permiſſa.

Pſalm. 21.

Lev. 25. 36.

Ita vero *S. Th.* 2. 2. q. 78. art. 1. in Reſponſione ad ſecundam Objectionem. *Judæis prohibitum fuit accipere uſuram a fratribus ſuis, ſcilicet Judæis: per quod datur intelligi, quod accipere uſuram a quocumque homine eſt ſimpliciter malum. Debemus enim omnem hominem habere quaſi proximum, & fratrem, præcipue in ſtatu Evangelii, ad quod omnes vocantur .˙. Quod autem ab extraneis uſuram acciperent, non fuit eis conceſſum quaſi licitum, ſed permiſſum ad majus malum vitandum, ne ſcilicet a Judæis Deum colentibus uſuras acciperent, propter avaritiam, cui dediti erant, ut habetur Iſaiæ 56.*

De Uſuris.

Verum (inquies) hæc verba Legis: *Fratri tuo abſque uſura id, quo indiget, commodabis,* locum iſtum de pauperibus, aut indigentibus intelligendum eſſe probant.

Reſpondetur, Mutui originem, & occaſionem his verbis exprimi: nemo enim Mutuum ſumit niſi indigens: neque enim Mutuum peteret, ſi apud ſe haberet, quod petit. At indigentia iſta, de qua lex loquitur, neque extrema, neque gravis ſolum intelligenda eſt, ſed etiam communis, quæ ad Mutuum etiam divites, & mercatores impellit. Et certe Lex uſuram a fratribus exigere penitus vetat Judæis: ſed inter fratres erant non ſolum pauperes, & indigentes, ſed etiam divites, & mercatores: igitur Lex Judæis penitus vetat uſuram etiam a divitibus & mercatoribus exigere, quantumvis moderata ſit. Præterea, eam uſuram Lex Judæis a fratribus exigere vetat, quam videtur erga alienigenas permittere: ſed Lex erga alienigenas non videtur permittere niſi uſuram moderatam, & quidem eam, quæ exigitur a divitibus, & mercatoribus, non vero eam, quæ a pauperibus, vel egenis exigitur; quæ enim gravior eſt, modumque non ſervat, humanitatem omnem, ac æquitatem violat, fatentibus etiam uſuræ, ac fœneris patronis. Lex igitur Judæis prohibuit etiam moderatam uſuram exigere a fratribus divitibus, & mercatoribus. Quod ſi non licuit Judæis, multo minus Chriſtianis licet: alioquin a Judæo Chriſtianus caritate, & beneficentia ſuperaretur, nec abundaret juſtitia noſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum: cum tamen magna juſtitia, magna caritas, & perfecta juſtitia, perfecta caritas ſit, ut loquitur *S. Aug.* Hæc itaque Lex Moralis eſt, non Judicialis, & Politica dumtaxat, adeoque Chriſtianos etiam ſpectat.

Judæis Lex uſuram etiam moderatam exigere a fratribus divitibus, & mercatoribus prohibet.

Id rurſus probatur ex Pſ. 14. *Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in Monte Sancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam. Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit.* Quem locum *S. Ambroſius* expendens, Lib. *de Tobia* cap. 15. ait: *David benedictum æſtimavit, & dignum habitatione cœleſti, qui pecuniam non dedit ad uſuram: ſi ergo, qui non dedit, benedictus: ſine dubio maledictus, qui ad uſuram dedit. Cur ergo maledictionem potius eligis, quam benedictionem?*

Lex iſta Moralis eſt adeoque Chriſtianos etiam ſpectat.

De Uſuris.

Idem probat locus inſignis *Ezechielis*, c. 18. v. 5. *Vir, ſi fuerit juſtus, & fecerit judicium, & juſtitiam .˙. ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit .˙. Hic juſtus eſt, vita vivet, ait Dominus.* Et infr. v. 10. & 13. *Quod ſi genuerit filium latronem effundentem ſanguinem .˙. ad uſuram dantem, & amplius accipientem, numquid vivet? Non vivet, cum univerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur. Denique*, ver. 14. & 17. *Quod ſi genuerit filium, qui videns omnia peccata patris ſui quæ fecit, timuerit, & non fecerit ſimile eis .˙. uſuram, & ſuperabundantiam non acceperit, judicia mea fecerit, in præceptis meis ambulaverit: hic non morietur in iniquitate patris ſui, ſed vita vivet.* Uſura pro acceſſione pecuniæ creditæ, fœnus pro frugum ſuperabundantia ſumitur. Utrumque Deus per Prophetam prohibet, nulla pauperis, & divitis, nulla fratris, & indigenæ diſtinctione, nulla immoderatæ, aut gravis uſuræ mentione facta: nihil ultra ſortem exigere permittit: Immo vero mortem minatur iis, qui aliquid ultra ſortem exegerint a quocumque, aut perceperint. In Lege dicitur, *Non fœnerabis fratri, ſed alieno.* Sed vi profectum (inquit *S. Hier.* hunc locum exponens) *In principio Legis a fratribus tantum fœnus tollitur: in Propheta ab omnibus uſura prohibetur: porro in Evangelio virtutis augmentum eſt, præcipiente Domino,* FOENERAMINI *eis, a quibus non ſperatis recipere.*

Idem confirmant Chriſti Legislatoris noſtri verba Luc. 6. *Si mutuum dederitis his a quibus ſperatis recipere, quæ gratia eſt vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia .˙. Mutuum date, nihil inde ſperantes, & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi: quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos, & malos.* Triplicem ſenſum hæc Domini ſententia complectitur. Vult enim, ut illis etiam benefaciamus, & mutuum demus, qui ingrati futuri ſunt, nec ſimilem gratiam repenſuri; quoniam & ipſi peccatores ſpe ſimilis beneficii rependendi ad mutuum dandum invitantur. Secundo, vult ut mutuum demus, etiamſi ſortem ipſam recepturi non ſimus, ſed ejus amittendæ ſubeamus periculum. Tertio, vult mutuum dari ſine ſpe lucri, & acceſſionis, ſeu fœnoris ſupra ſortem. Cum enim Chriſtus ad excellentiſſimam benevolentiam, & beneficentiam Fideles obſtrinxerit, ut ſcilicet inimicos diligerent, ingratis benefacerent, & mutuum darent, nec gratiam, nec ſortem etiam ipſam ſperantes: qua ratione lucrum, aut fœnus etiam moderatum ex mutuo exigere permitteret? Qui Legem non venit ſolvere, ſed adimplere; qui juſtitiam noſtram abundare jubet plus quam Scribarum, & Phariſæorum; qui ad ipſam etiam ſortem non repetendam nos invitat, ut benignitatem noſtram, juſtitiamque perfectam faciat; is certe lucrum ex mutuo exigere, aut ſperare non permittit, immo vero id multo magis prohibet, cum non ſolum caritati, ſed etiam juſtitiæ, & æquitati omnino repugnet. Unde *Tertull.* Lib. 4. *Contra Marcionem*, iſtud Chriſti Oraculum cum loco Ezechielis ſuperius prolato componens, fœnus in Veteri Teſtamento vetitum eſſe docet, ac proinde multo magis in Novo, ubi ad mutuum etiam non repetendum invitamur; ad quam quidem benignitatis formam, ac perfectionem, rudia adhuc Veteris Legis præcepta uſuram, & fœnus ſolum prohibendo, nos inſtituebant. *Hic nunc*, inquit, *de fœnore cum interponit: Et ſi fœneraveritis, a quibus ſperatis vos recepturos, quæ gratia eſt vobis? Percurre ſequentia Ezechielis de eodem viro juſto: Pecuniam, inquit, ſuam fœnori non dedit, & quod abundaverit, non ſumet: Fœnoris ſcilicet redundantiam, quod eſt uſura. Prius igitur fuit, ut fructum fœnoris eradicaret, quo facilius aſſuefaceret hominem ipſi quoque fœnori, (ideſt mutuo) ſi forte perdendo, cujus fructum didiciſſet amittere. Hanc enim dicimus operam fuiſſe Legis procurantis Evangelio. Quorumdam tunc fidem paullatim ad perfectum Diſciplinæ Chriſtianæ nitorem primis quibuſque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat.*

Itaque cum tria quis ſperare poſſit ex mutuo, uſuram, gratiam, ſortem: ſuadet Chriſtus, ut mutuum demus, gratiam, aut ſortem non recepturi: vetat autem ne ex mutuo uſuram exigamus, aut ſperemus. Qui enim ſpe rependendæ gratiæ benefacit, avarus eſt; qui metu amittendæ ſortis mutuum indigenti non tribuit, inhumanus; ſed qui ſpe lucri, & incrementi dat mutuum, injuſtus eſt: unde *S. Th.* 2. 2. qu. 78. art. 1. conſilium, & præceptum in verbis Chriſti diſtinguit; conſilium quidem, quod ad beneficentiam pertineat; præceptum vero, quod ad juſtitiam referatur. Cum enim hanc ſibi objectionem quartam ordine propoſuiſſet: *Prætermittere conſilia non obligat ad peccatum; ſed Lucæ 6. inter alia conſilia ponitur;* DATE mutuum nihil inde ſperantes: *Ergo accipere uſuram non eſt peccatum:* Sic reſpondet: *Dare mutuum,* inquit, *non ſemper tenetur homo: & ideo quantum ad hoc ponitur inter conſilia: ſed quod homo lucrum de mutuo non quærat, hoc cadit ſub ratione præcepti.* Atque ita hanc Domini Sententiam intelligendam eſſe docent Summi Pontifices, & Concilia, cum illius auctoritate uſuram omnem, ac fœnus prohibent, & damnant; ſcilicet Conc. Carthagin. 1. can. 14. Lateran. 2. ſub *Innocentio II.* can. 13. Lateran. 3. ſub *Alexandro III.* can. 25. *Alexander III.* cap. *Super eo*, Extra, *De Uſuris*; & *Urbanus III.* cap. *Conſuluit*, ſub eodem Titulo; *Innoc. III.* cap. *Quam perniicioſum*, & Conc. Lateran. 5. ſub *Leone X* Seſſione 10.

De Uſuris.

Objiciunt Uſuræ, fœnoriſque patroni hæc verba Exodi 22. quibus Deus gravem dumtaxat, ac mordacem uſuram, eamque a pauperibus exigi vetat, non moderatam, & a divitibus. *Si pecuniam mutuam dederis Populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quaſi exactor, nec uſuris opprimes.* Item illud Lev. 25. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & ſuſceperis eum quaſi advenam, & peregrinum & vixerit tecum, ne accipias uſuras ab eo, amplius, quam dediſti.*

Reſpondetur. Voces illas, *Pauper, attenuatus, infirmus,* Legem non reſtringere, ſed exempli gratia poſitas eſſe,

quia

quia frequentiſſimum eſt, ut pauperes opis alienæ magis egeant, & ad fœneratores ſublevandæ ſuæ inopiæ cauſſa confugere cogantur: unde harum Sententiarum ſenſus eſt, Si pecuniam mutuam dederis populo meo, præſertim pauperi, & contribuli tuo, præſertim attenuato, & infirmo, Uſuras ab eo ne accipias, & amplius quam dediſti. Præterea, cum ejuſdem ſit Legem interpretari, cujus eſt illam condere, & Deus aliis Scripturæ Sacræ locis Uſuram omnem, & erga omnes tam divites, quam pauperes injuſtam eſſe doceat, in eaque damnanda Lex, Prophetæ, & Evangelium conſentiant; priores illæ Sententiæ per poſteriores ſunt explicandæ, ſcilicet per loca ex Deuteronomii cap. 23. Pſ. 14. Ezech. 18. & Lucæ 6. petita.

Objiciuntur deinde verba illa Deut. 28. quibus Deus quaſi in præmium ſervatæ legis Judæis promittit fœnus ex Gentibus percipiendum, & colligendum: *fœnerabis gentibus multis; ipſe a nullo fœnus accipies.*

Reſpondetur, Fœnus ibi accipi pro mutuo, & fœnerare pro mutuum dare. Promittitur enim abundantia divitiarum Judæis; qua fiet, ut aliis mutuum dare poſſint, ut explicat *S. Th.* 2. 2. q. 78. art. 1. in Reſponſione ad ſecundam Objectionem. Sic fœnerandi verbum ſumitur Eccle. 29. *Qui facit miſericordiam, fœneratur proximo ſuo.* Item, *Fœnerare proximo tuo in tempore neceſſitatis illius.*

Objiciunt tertio. Chriſtus Uſuram moderatam probare videtur propoſita Parabola talentorum, Matth. 25. & Luc. 19. *Quare* (inquit) *non dediſti pecuniam meam ad menſam, ut ego veniens cum uſuris utique exegiſſem illam?* Omnis igitur uſura non eſt prohibita.

De Uſuris.

Reſpondetur, Uſuram eſſe duplicem, unam pecuniæ, aliam gratiæ: Uſura pecuniæ prohibita eſt a lege; Uſura gratiæ a lege, & Evangelio præcepta eſt. Illa ideo prohibita eſt, quia plus exigitur quam datum ſit, cum fœnerator diteſcat, debitor contra æquitatem ſpolietur: Iſta divitem facit accipientem, nec aliquid imminuit fœneranti. Quamobrem præcipit Chriſtus, ut bona ſpiritualia, quæ commiſit nobis, bono uſu augeamus: prohibet vero uſuram exigere ex pecunia mutuo data: quamvis ſimilitudinem ex nummulariis, & trapezitis ducat, ut ex uſura pecuniæ manu ducat ad uſuram gratiæ, non probando iniquitatem fœnoris, ſed provocando ad augmentum virtutis. Neque enim undecumque datur ſimilitudo in Scripturis, laudatur ipſa res unde ſimilitudo illa trahitur: non enim laudat Dominus iniquum Judicem, qui nec Deum timens, nec homines veritus, Viduam audire nolebat, non illum laudat pigrum, qui tres panes non propter amicitiam dedit petenti, ſed tædio victus: non laudat villicum iniquitatis, quod fraudem fecerit domino, remittendo partem debitoribus domini ſui: & tamen inde ſimilitudines traxit ad inſtituendos, formandoſque mores hominum opportunas: ita non probat uſuram pecuniæ, quamvis ex ea ſimilitudinem ducat, ut homines ad uſuram gratiæ, & ad ſpiritualium talentorum incrementum hortetur. Hæc Reſponſio colligitur ex *S. Ambroſio*, Enarratione in Pſal. 36. & libro *De Tobia*, cap. 19. necnon ex *S. Th.* 2. 2. qu. 78. art. 1. in Reſponſione ad primam Objectionem. *Uſura*, inquit, *ibi metaphorice accipitur pro ſuperexcrecentia bonorum ſpiritualium, quam exigit Deus, volens ſe in bonis acceptis ab eo ſemper proficiamus, quod eſt ad utilitatem noſtram, non ejus.*

PROPOSITIO III.

Uſuram omnem, & erga omnes, Divina Lege prohibitam eſſe Patres Divinæ Legis interpretes, Traditioniſque teſtes ſummo conſenſu confirmant; & uſuram eſſe docent, quicquid ultra ſortem exigitur, aut percipitur, ſive pecuniam, ſive quidvis aliud.

PRodit primum *Tertull.* cujus locus ex lib. 4. *contra Marcionem* ſupra deſcriptus eſt.

Secundo, *Clemens Alexandr.* lib. 2. *Stromatum*, ubi de lege Moſaica ſic loquitur: *Lex prohibet fratri fœnerari; fratrem nominans non eum ſolum, qui ex iiſdem parentibus natus eſt, ſed etiam qui ejuſdem Tribus, ejuſdemque verbi particeps fuerit; non æquum putans ex uſuris pecunias colligere ∴ Jam vero, qui libenter largitur, ſatis magnas accipit uſuras, quæ ſunt apud homines pretioſiſſimæ; nempe manſuetudinem, benignitatem, magnificentiam, bonam famam, laudemque, & gloriam.* Non ſolum erga pauperes uſuram vetitam eſſe *Clemens Alexandr.* docet, ſed etiam erga divites, & negotiatores: ſiquidem iniquum eſſe aſſerit, uſuram ex pecuniis colligere: Juſtitiam autem erga omnes ſervare debemus.

De Uſuris.

Tertio, *S. Cypr.* lib. *De Lapſis*, ubi peccata enumerans, ob quæ perſecutionem in Eccleſiam ſuam excitari Deus permiſit, fœnus inter cetera collocat: *Epiſcopos plurimos* (inquit) *quos & hortamento oportet eſſe ceteris, & exemplo, divina procuratione contempta, Procuratores rerum ſæcularium fieri; derelicta Cathedra, plebe deſerta, per alienas Provincias oberrantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari, eſurientibus in Eccleſia fratribus non ſubvenire, habere argentum largiter velle, fundos inſidioſis fraudibus rapere, uſuris multiplicantibus fœnus augere: quid non perpeti tales pro peccatis ejuſmodi merentur? Cum jampridem præmonuerit, ac dixerit Cenſura Divina*: Si dereliquerint legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, ſi juſtificationes meas profanaverint, & præcepta mea non obſervaverint, viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. *Prænuntiata ſunt iſta nobis, & ante prædicta: ſed nos datæ legis, & obſervationis immemores, id egimus per noſtra peccata, ut dum Domini mandata contempſimus, ad collationem delicti, & probationem fidei remediis ſeverioribus veniremus.*

Uſura ſeveriora Dei flagella in homines provocat.

Pſ. 88. 1b.

Quarto. *Lactantius*, Lib. 6. *Divinarum Inſtitutionum*, c. 18. *Pecunia*, inquit, *ſi quam crediderit, non accipiat uſuram: ut & beneficium ſit incolume, quod ſuccurrat neceſſitati, & abſtineat ſe prorſus alieno: in hoc enim genere officii debet ſuo eſſe contentus; quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat. Plus autem accipere, quam dederit, injuſtum eſt: quod qui facit, inſidiatur quodammodo, ut ex alterius neceſſitate prædetur.* Injuſtum eſſe aſſerit *Lactantius* ex mutuo plus accipere, quam datum ſit, cum igitur erga divites, & mercatores non minus ſervari juſtitia debeat, quam erga pauperes; quamvis erga iſtos major ſit exercenda caritas; tam ab illis, quam ab iſtis aliquid ultra ſortem ob mutuum accipere illicitum eſt.

Plus accipere quam datum ſit injuſtum eſt.

Ex alterius neceſſitate prædatur fœnerator.

Quinto, *S. Hilarius* in Pſ. 14. ad illa verba. *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, ubi de Mutuo fœnebri loquens, *Fallax*, inquit, *hoc beneficium, & humanitas fraudulenta, damnoſa hac benevolentia docetur.*

Sexto, *S. Baſilius*, in Pſ. 14. *Ezechiel*, inquit, *in maximis malis ponit fœnus, & plus quam ſortem accipere, & Lex illud luculenter prohibet.* Et inf. *Iniqua*, inquit, *prorſus mutui datio utrique, danti pariter, & accipienti; huic quidem in pecunias, illi vero in ipſam animam damnum pœnamque afferens ∴ Igitur a volente accipere mutuum ne vultum avertas, nec pecuniam tuam dederis ad uſuram, ut tam ex Veteri, quam Nova Lege edoctus, quæ conducibilia ſunt, cum ſpe bona ad Dominum hinc emigres, bonorum factorum uſuras recepturus.* Uſuræ iniquitatem *S. Baſilius* indicat, eamque Veteri, ac Nova Lege prohibitam eſſe docet: non ergo ad judicialia, & politica Veteris Legis præcepta pertinet, ut *Calvinus*, & *Salmaſius*, aliique Hæretici contendunt.

Septimo, *S. Greg. Nyſſ.* Hom. 4. in Eccleſiaſtem; *Improbum*, inquit, *fœnoris inventum: qui latrocinium, & parricidium nominaverit, non procul a vero aberraverit. Quid enim refert, an clanculum perfoſſis muris prædonis more aliena habeas, & prætereuntis cæde te eorum, quæ habeat, Dominum conſtituas; an fœnoris neceſſitate acquiras ea, quæ ad te non pertinent? O malum vocabulum! Fœnus ſit nomen latrocinii:* Et infra: *Si quiſpiam viaticum cuipiam vi abſtulerit, aut clam ſurripuerit, raptor, & fur dicitur: qui autem etiam adhibitis teſtibus injuſte ſe, ac acerbe gerit, & pactis conventis ſuam confirmat iniquitatem, benignus dicitur, & beneficus, & ſervator.*

Uſura latrocinium eſt. De uſuris.

Et Oratione *contra Uſurarios*, Fœnus injuſtum, & iniquum lucrum eſſe ait, ac proinde reſtituendum ei, a quo acceptum eſt: quam plurimos inopes efficere, ut unum ditet, in lege, Prophetis, & Evangelio damnari: fruſtra honeſtis nominibus a fœneratoribus appellari, quibus certa, & inevitabilis pœna imminet: inanes eorum excuſationes, ſtultaſque minas, quod Mutuum egentibus non dabunt, ſi uſuras percipere prohibeantur. *Inſona*, inquit, *Uſurariis vocem illam Jo. Baptiſtæ: Genimina viperarum, abite a me; pernicies eſtis iis, qui vos retinent, & accipiunt: paullulum oblectationis affertis, ſed temporis progreſſione virus a vobis ſparſum in acerbum animæ maleficium convertitur; viam vitæ obſepitis, Regni Cæleſtis fores clauditis; modicum quidem oculos aſpectu, tinnituque veſtro aures recreatis; interim vero æterni doloris cauſſa eſtis & origo.* Et inf. *Segnis & inſatiabilis eſt vita uſurarii; neſcit laborem agrorum colendorum; mercaturam non exercet; ſed uno in loco confidens, immanes domi ſuæ feras nutrit. Vult omnia ſibi ſine ſatu, & inarata progigni; cui quidem aratrum eſt calamus; ager, charta; ſemen, atramentum; pluvia, tempus, quod illi pecuniæ fructus occultis incrementis adauget, & educat; falx illi eſt repetitio; area, domus. Dolet fœnerator ob argentum domi repoſitum, quod otioſum eſt, & infructuoſum: imitatur colonos, qui ex acervo frumenti ſemper ſemen petunt. Videas plerumque opibus, divitiiſque abundantem, ſæpe domi ne unum quidem nummum habere; ſed omnes ſpes ejus in charta poſitas eſſe, omneſque fortunas in pactis conventis verſari. Hic nihil habet, & omnia poſſidet, contrario ſane modo Apoſtolicis Mandatis vitam inſtituens, qui omnia petentibus non humanitatis, ſed cupiditatis gratia largitur ∴ Quapropter Divina quoque Scriptura, quæ nos ad omnem pietatem informat, ubique uſuras prohibet ... Redde fratri tuo, a quo injuſte ſurripuiſti. Quid utilitatis affers, dum multos efficis inopes, & unum conſolaris? Si non eſſet tanta multitudo uſurariorum, non eſſet tanta copia pauperum ... Omnes accuſant fœneratores, nec malo huic mederi queunt Lex, Prophetæ, Evangeliſtæ ... Patres tantopere non lætantur generatione filiorum, quantum fœneratores fine menſium. Qui & ſcelus ſuum pulcris obvelant nominibus, humanum cenſum, ſeu quæſtum appellantes Ethnicorum inſtar, qui Deas quaſdam odio in cunctos inflammatas hominumque interfectrices, non vero, ſed miti nomine vocant Eumenides. Itane vero humanus ſenſus? An non exactio uſura eſt, quæ domos evertit, divitias diſſipat, efficitque, ut qui honeſto, & nobili loco nati ſunt, deteriorem vitam vivant, quam ſervi, quæ quidem initio nonnihil delectat, poſteriores vero vitæ partes acerbo dolore complet!* Et inf. *Minantur ſe pauperibus non daturos Mutuum minantur egenis venientibus ſe occluſuros januam ... Ego quidem primum dandum eſſe prædico. Deinde ad Mutuum quoque exhortor: altera enim donationis ſpecies eſt Mutuum. Sed nolo hoc dandum eſſe ſine fœnore, & exactione uſuraria, eoque modo, quo id Divina Oracula præcipiunt. Æque enim obnoxius eſt pœnæ, qui non dat Mutuum, & qui dat ſub conditione uſuræ. Illius namque inhumanitas, hujus vero cauponarius quæſtus merito condemnatus eſt. At iſti ultro ad alterum extremum ſe conferunt, omnique modo a dando abſtinere volunt, quod ſane impudens eſt propoſitum, & contra jus, faſque furioſa contentio, liſque, & bellum contra Deum. Vel enim non dabo, inquit, vel Mutuum dans, contractum faciam fœneratitium.*

Regni cæleſtis fores claudit uſura.

Uſurarii effigies.

De uſuris.

Octavo, *S. Ambroſius* lib. *de Tobia*, c. 14. Uſuram etiam illam, quæ a Mercatoribus exigitur, Divina Lege vetitam eſſe docet, & quicquid ſorti accedit, tamquam turpe, & injuſtum lucrum damnat. *In Deuteronomio*, (inquit) *ſcriptum eſt:* Non exiges a fratre tuo uſuram pecuniæ, & uſuram eſcarum, & uſuram omnium rerum, quaſcumque fœneraveris fratri tuo. *Vides quantum pondus in verbis ſit: Noli, inquit, exigere uſuram a fratre tuo, hoc eſt, cum quo habere debes omnia communia, ab eo tu uſuram exigis? Frater tuus conſors naturæ, & cohæres gratiæ: noli ab eo exigere amplius, a quo durum eſt repetere, quod dederis; niſi cum habuerit, unde ſolvat. Et quia plerique refugientes præcepta Legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia uſuras exigunt, ſed de mercibus eorum tamquam uſurarum emolumenta percipiunt ideo audiant quid Lex dicat:* Neque uſuram, *inquit*, eſcarum accipies, neque omnium rerum quaſcumque fœneraveris fratri tuo: *Fraus enim iſta, & circumſcriptio legis eſt, non cuſtodia. Et putas te pie facere, quia a Negotiatore velut Mutuum ſuſcipis? Inde ipſe fraudem facit in mercium pretio, unde tibi ſolvat uſuram: fraudis illius tu auctor, tu particeps, tibi proficit quicquid ille fraudaverit. Et eſca uſura eſt, & veſtis uſura eſt, & quodcumque ſorti accedit, uſura eſt: quod velis ei nomen imponas, uſura eſt. Si licitum eſt, cur vocabulum refugis? Cur velamen obtexis? Si illicitum eſt, cur incrementum requiris?*

Uſura omnis etiam quæ a Mercatoribus exigitur divina lege vetita eſt. Omnis ad ſortem acceſſio, uſura eſt.

Legenda, quæ toto Libro eo de argumento habet c. 3. *Numeratur pecunia* (inquit) *addicitur libertas, abſolvitur miſer minore debito; majore ligatur. Talia ſunt veſtra, divites, beneficia. Minus datis, & plus exigitis. Talis humanitas, ut ſpolietis etiam, cum ſubvenitis. Fœcundus etiam, pauperi eſt vobis ad quæſtum. Uſurarius eſt egenus, cogentibus vobis, habet quod reddat; quod impendat, non habet. Miſericordes plane viri, quem alii abſolvitis, vobis addicitis. Uſuras ſolvit, qui victu indiget. An quidquam gravius? Ille medicamentum quærit, vos offertis venenum: panem implorat, gladium porrigitis, libertatem obſecrat, ſervitutem irrogatis: abſolutionem precatur, informis laquei nodum ſtringitis. Hanc præcipue injuſtitiam deplorat Sanctus David dicens: VIDI iniquitatem, & contradictionem in civitate, & non defecit de plateis ejus uſura, & dolus.*

Crudelia fœneratorum beneficia.

Pſal. 51.

Cap. 6. *Quod proſcriptio tyrannorum, aut latronum manus operari ſolet, hoc ſola fœneratoris nequitia conſuevit inferre. Doctiores autem ipſum fœneratori putant Diabolum comparatum, qui res animæ, & pretioſæ mentis patrimonium fœnore quodam uſurariæ iniquitatis evertit, ſic ſumptu capit, ſic auro illicit, ſic reatus involvit, ſic caput pro theſauro repoſcit.*

Cap. 7. *Nihil nequius fœneratoribus, qui aliena damna lucra ſua arbitrantur, & diſpendio ſuo deputant, quicquid ab aliis poſſidetur. Aucupantur hæredes novos, adoleſcentules divites explorant per ſuos, adjungunt ſe, ſimulantes paternam, & avitam amicitiam, volunt domeſticas eorum cognoſcere neceſſitates. Si quam cauſſam invenerint, accuſant verecundiam, pudorem arguunt, quod non ante de ſe ſperatum fuerit, atque præſumptum. Sin vero nullos laqueos alicujus neceſſitatis offenderint, intexunt tabulas, ajunt nobile prædium eſſe venale, amplam domum, accumulant proventus fructuum, annuos redditus exaggerant, hortantur, ut coemant. Similiter faciunt pretioſas veſtes, & mobilia nobilia prædicantes. Negant ſe habere pecuniam, ingerunt ſuam dicentes: Utere ut tua: de fructibus emptæ poſſeſſionis pretium multiplicabis, debitum reddes. Prætendunt alienos fundos adoleſcenti, ut eum ſuis expolient.* Vide *S. Ambr.* uſurarum exactionem, non ſolum a pauperibus, ſed etiam a divitibus, qui ex mutuo res ſuas augent, velut nequitiam immanem, velut proſcriptionem tyrannorum, velut prædam latronum damnare, & Fœneratores Diabolo ſimillimos aſſerere.

Malæ fœneratorum artes.

De uſuris.

Cap. 10. *Nihil intereſt inter funus, & fœnus, nihil inter mortem diſtat, & ſortem.*

Fœnus, funus. Eccl. 20.

Cap. 12. *Quid tetrius eo, qui hodie fœnerat, & cras expetit?* Et *odibilis* (inquit) *homo hujuſmodi. Oblatio, quidem blanda, ſed immanis exactio ∴ Quanta ſibi fecerunt vocabula? Nummus datur, fœnus appellatur: ſors dicitur, caput vocatur: æs alienum ſcribitur; multorum hoc capitum immane prodigium numeroſam exactionem efficit: Syngrapham nuncupat, chirographum nominat, hypothecas flagitat, pignus uſurpat, fiducias vocat, obligationem aſſerit, uſuras prædicat, centeſimas laudat.*

Ex. 22. 25.

Rurſus cap. 14. *Non novum, nec perfunctorium hoc malum eſt, quod Veteris, atque Divinæ præſcriptio Legis inhibetur. Populus, qui diſpoliaverat Ægyptum, qui pede tranſierat Mare, monetur a fœnoris pecunia cavere naufragia. Et cum de aliis peccatis ſemel, aut multum iterata admonitione præſcripſerit, de fœnore ſæpius intimavit. Habes in Exodo:* Quod ſi pecuniam fœneraverit pupillo, orphano pauperi, apud te non ſuffocabis eum, non impones illi uſuram. *Oſtendit, quid ſit ſuffocare, id eſt, Uſuram imponere; ſtrangulat enim, & quod pejus eſt, animam laqueus creditoris; quo ſermone, & prædonis violentiam, & deformis nodum mortis expreſſit.*

Uſuram exigere, idem eſt, quod fratrem ſuffocare.

Et Ep. 24. ad *Vigilium* Trident. Epiſc. *Ille* (inquit) *ſupplantatur, qui uſurarum capta emolumenta. Itaque Vir Chriſtianus ſi habet, det pecuniam quaſi non recepturus: aut certe ſortem, quam dedit, recepturus. Habet in ea non mediocrem gratiæ uſuram. Alioquin decipere iſtud eſt, non ſubvenire. Quid enim durius, quam ut des pecuniam tuam non habenti, & ipſe duplum exigas? Qui ſimplum non habuit unde ſolveret, quemadmodum duplum ſolvet? .... Populi ſæpe conciderunt fœnore, & ea publici exitii cauſſa exiſtit. Unde nobis Sacerdotibus id præcipue curæ ſit, ut ea vitia reſecemus, quæ in plurimos videntur ſerpere.*

Nono, *S. Jo. Chryſ.* Hom. 41. in Geneſim: *Vide* (inquit) *miſericordiam Domini; in his ſenſibilibus pecuniis prohibuit, ne quis uſuram acciperet. Quare, & ob quam cauſſam? Quia uterque magno damno afficitur. Nam debitor quidem inopia atteritur, Creditor autem augens divitias, & peccatorum accumulat ſibi multitudinem. Proinde ab initio olim Judæis craſſioribus tale dedit præceptum dicens:* Non fœneraberis fratri, & proximo tuo. *Qua igitur excuſatione digni erunt, qui Judæis ſunt inhumaniores, & poſt gratiam, & tantam a Domino miſericordiam, inveniuntur iis, qui ſub Lege fuerunt, inferiores, immo pejores?*

Uſura debitori, & creditori exitiabilis. De uſuris.

Et Hom. 5. in Matthæum: *Fœnerare* (inquit) *unde poſſis non mortem fructificare, ſed vitam: iſta namque uſura Regnum, illa autem acquirunt gehennam: Illæ enim avaritiæ ſunt, iſta Philoſophiæ: & illa quidem crudelitatis, iſta vero pietatis .... Nihil præſenti uſura turpius, nihilque crudelius: ſiquidem hujuſmodi fœnerator negotiatur aliena diſcrimina; & uberiores, ut putat, quæſtus de alterius infelicitate conſequitur.* Lege & Homiliam 57.

Decimo, *S. Hier.* in c. 18. *Ezechielis*, Uſuram eſſe docet Divina Lege prohibitam quicquid ultra ſortem ſive rei mutuo datæ caput exigitur, aut percipitur; ſive pecuniæ ſit acceſſio, ſive rei cujuslibet alterius ſuperabundantia, ſive munuſcula quælibet. *Putant quidam* (inquit) *uſuram tantum eſſe in pecunia, quod prævidens Scriptura Divina, omnis rei aufert ſuperabundantiam, ut plus non recipias, quam dediſti. Solent in agris frumenti, milii, vini, & olei, ceterorumque ſpecierum uſuræ exigi, ſive, ut appellat ſermo divinus, ſuperabundantiæ: v. g. ut hyemis tempore demus decem modios, & in meſſe recipiamus quindecim. hoc eſt, amplius partem mediam: qui juſtiſſimum ſe putaverit, quartam plus accipit portionem. Et ſolent argumentari, ac dicere: Dedi unum modium, qui ſatus fecit decem modios, nonne juſtum eſt, ut unum modium de meo plus accipiam: cum ille mea liberalitate novem, & ſemis de meo habeat;* Nolite errare, *inquit Apoſtolus*, Deus non irridetur. *Reſpondeat enim nobis breviter fœnerator miſericors, Utrum habenti dederit, an non habenti. Si habenti, utique dare non debuerat, ſed dedit quaſi non habenti. Ergo quare plus exigit quaſi ab habente? Alii pro pecunia fœnerata ſolent munuſcula accipere diverſi generis, & non intelligunt uſuram appellari, & ſuperabundantiam, quicquid illud eſt, ſi ab eo, quod dederint, plus acceperint.*

Quicquid ultra ſortem exigitur ſive ſit acceſſio pecuniæ, ſive rei alterius ſuperabundantia, aut munera, uſura eſt Dei Lege prohibita. Inanis fœneratorum, excuſatio. Gal. 6. 7.

Undecimo *S. Aug.* Enar. in Pſalm. 36. Serm. 3. *Nolo ſitis fœneratores* (inquit) *& ideo nolo, quia Deus non vult. Nam ſi ego nolo, & Deus vult, agite: ſi autem Deus non vult, etiamſi ego vellem, malo ſuo ageret, qui ageret. Unde apparet Deum hoc nolle? Dictum eſt alio loco*, Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. *Et quam deteſtabile ſit, quam odioſum, quam execrandum, puto, quia & ipſi fœneratores noverunt ... Si fœneraveris homini, id eſt, mutuam pecuniam tuam dederis, a quo aliquid plus quam dediſti expectes accipere, non pecuniam ſolam, ſed aliquid plus quam dediſti, ſive illud triticum ſit, ſive vinum, ſive oleum, ſive quodlibet aliud; ſi plus, quam dediſti expectas accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus non laudandus.*

Pſal. 14.

Et Enar. in Pſ. 128. *Noli* (inquit) *fœnerare. Tu accuſas Scripturam dicentem, Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. Non ego illud ſcripſi, non de ore meo primo exiit. Deum audi ∴ Audent etiam fœneratores dicere, Non habeo aliud, unde vivam. Hoc mihi & latro diceret, deprehenſus in fauce; hoc & effractor diceret, deprehenſus circa parietem alienam; hoc mihi & leno diceret, emens puellas ad proſtitutionem; hoc & maleficus incantans mala, & vendens nequitiam ſuam: quicquid tale prohibere conaremur, reſponderent omnes, quia non haberent unde viverent; quia inde ſe paſcerent: quaſi non hoc ipſum in illis maxime puniendum eſt, quia artem nequitiæ delegerunt, unde vitam tranſigant. & inde ſe & volunt paſcere, unde offendant eum, a quo omnes paſcuntur.*

S. Leo, Ser. 6. De Jejunio 10. Menſis: *Injuſta*, inquit, *& impudens avaritia, quæ beneficium ſe dicit præſtare cum deci-*

Fœnus pecuniæ, funus eſt Animæ.

decipit, non credit Deo veraciter promittenti, & credit homini trepide paſciſcenti: dumque certiora exiſtimat præſentia, quam futura, merito in hoc frequenter incurrit, ut ei cupiditas injuſti lucri non injuſti cauſſa ſit damni. Unde quilibet ſequatur eventus, mala ſemper eſt ratio fœnerantis, cui pecuniam & minuiſſe, & auxiſſe peccatum eſt: ut aut miſer ſit amittendo, quod dedit, aut miſerior accipiendo quod non dedit. Fugienda prorſus eſt iniquitas fœnoris, & lucrum, quod

De Uſuris.

omni caret humanitate, vitandum eſt. Multiplicatur quidem facultas injuſtis, & triſtibus incrementis, ſed mentis ſubſtantia contabeſcit: quoniam fœnus pecuniæ funus eſt Animæ.

PROPOSITIO IV.

Uſura omnis, & erga omnes utroque Jure, cum Canonico, tum Civili prohibita; graveſque pœnæ in Fœneratores conſtitutæ.

Uſura jure Canonico vetita.

I. Atque, ut a Jure Canonico incipiam: Concilium Illiberitanum, can. 20. Clericis uſurariis pœnam depoſitionis, & excommunicationis affigendam decrevit; Laicos vero in ea iniquitate poſt monitionem perſeverantes, a Fidelium Communione pelli decrevit. Clericos fœneratores a communione abſtineri *Juxta formam divinitus datam*, Concil. Arelatenſe 1. can. 12. pariter jubet. Clericos, *Qui Divinæ Scripturæ obliti, dicentis*, QUI *pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*, Uſuras exigunt, *a Clero dejici*, ſtatuit Concil. Nicænum, can. 17. vetatque, ne aliquis *ex adinventione aliqua, vel quolibet modo negotium tranſigens*, turpe lucrum ſectetur. Concil. Carthaginenſe 1. can. 13. Fœneratitiam Artem Clericis prohibet eo nomine, quod in Laicis ipſis a Scriptura Sacra manifeſte reprehendatur, ac damnetur. *De quibus* (inquit) *apertiſſime Divina Scriptura ſanxit, non differenda ſententia eſt, ſed potius exequenda: proinde, quod in Laicis reprehenditur, id multo magis in Clericis oportet prædamnari. Univerſi dixerunt: Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelia facit ſine periculo.* Conc. Carthaginenſe 3. can. 16. Nihil ultra ſortem mutuo datam licite exigi poſſe declarat, & hanc Regulam in mutuo ſervandam eſſe decernit, ut *Quantum quis dederit, tantum accipiat*. Conc. Carthaginenſe 4. can. 67. Uſurarios omnes ad Ordines promoveri vetat. Nullam hæc Concilia, & alia quam plurima, quæ proferri, vel recenſeri poſſent, diſtinctionem faciunt eorum, qui a pauperibus, & eorum qui a divitibus uſuras exigunt, ac percipiunt. Conc. Lateran. 2. ſub *Innocentio II.* can. 13. *Deteſtabilem, & probroſam divinis, & humanis Legibus, per Scripturam in Veteri, & in Novo Teſtamento abdicatam, inſatiabilem fœneratorum rapacitatem* damnat, *& ab omni Eccleſiaſtica conſolatione ſequeſtrat*, illos ad Sacramentorum participationem recipi vetat, *tota vita infames* haberi præcipit, & niſi reſipuerint, *Chriſtiana Sepultura* privari. Conc. Later. 3. ſub *Alex. III.* can. 25. Uſuram declarat *Utriuſque Teſtamenti pagina* condemnari: ſtatuitque ut *Uſurarii manifeſti nec ad Communionem admittantur Altaris, nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant Sepulturam. Sed nec eorum oblationem quiſquam accipiat; qui autem acceperit, aut eos Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, & ea, quæ acceperit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatisfaciat, ab Officii ſui maneat executione ſuſpenſus.* Alex. III. cap. *Cum tu*, Ext. *De Uſuris*, declarat, fœneratores conſtitutis pœnis ad uſuras etiam illas reſtituendas cogendos eſſe, quas ante Conc. Lateranenſe perceperant; & jure quidem merito, cum hac in re non tam Juris Canonici Conſtitutio, quam Lex Divina ſpectanda ſit. Et cap. *Supra eo*, declarat Eccleſiam in recipienda pecunia ad uſuram diſpenſare non poſſe, ut pauperes, qui a Saracenis captivi detinentur, ex pecuniis inde provenientibus redimantur: *Cum uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur.* Et *Cum Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus eſt quis, ne etiam pro redimenda vita captivi uſurarum crimine involvatur.*

Uſurariorum pœnæ.

Pluribus Reſcriptis uſurariam pravitatem, tamquam Divinæ Legi contrariam. *Innocentius III.* repreſſit, & coercuit: & manifeſtos Uſurarios ita ad reſtitutionem cogendos eſſe ſtatuit, ut ne ipſis quidem appellare permittat, cap. *Quam pernicioſum*, Extr. *De Uſuris*, cap. *Poſt miſerabilem*, Judæos ad remittendas Chriſtianis uſuras, per Principes, & Poteſtates ſæculares compelli præcipit, & donec illis remiſerint, ullum cum ipſis commercium a Chriſtianis haberi vetat ſub pœna Excommunicationis. Cap. *Cum in Diœceſi*, Uſurarios manifeſtos, contra quos propter timorem potentum, qui tuentur eoſdem, nullus accuſator apparet, nihilominus pœnæ a Lateranenſi Concilio in eos conſtitutæ obnoxios eſſe declarat. *Gregorius X.* & Concilium Lugdunenſe 2. Can. 26. & 27. renovant Conſtitutionem Lateranenſis Concilii adverſus Uſurarios editam, omnibuſque Dominis, & Communitatibus prohibent, ne domos trapezitis, & fœneratoribus locent, aut conductas habere in ſua ditione permittant, ſed eos infra tres menſes de terris ſuis expellant. Qui vero contrarium fecerint, ſi perſonæ fuerint Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Suſpenſionis, minores vero perſonæ ſingulares Excommunicationis; Collegium autem ſeu alia Univerſitas, Interdicti Sententiam ipſo facto incurrant. Statuit etiam idem Concilium, ut quamvis Uſurarii manifeſti de Uſuris, quas receperant, ſatisfieri expreſſa quantitate, vel indiſtincte ultimæ voluntatis tabulis mandaverint, nihilominus eis Sepultura Eccleſiaſtica denegetur, donec de uſuris ipſis plenarie ſatisfecerint, prout patiuntur facultates eorum. Sepelientes etiam manifeſtos Uſurarios contra formam hujus Conſtitutionis, pœnis a Lateranenſi Concilio conſtitutis ſubjacere decernit; prohibetque ne quis manifeſtorum Uſurariorum Teſtamento interſit, aut eos ad Confeſſionem admittat, vel abſolvat, niſi uſuras reſtituerint, aut idoneam de iis ipſis reſtituendis cautionem præſtiterint. Denique ipſa manifeſtorum Uſurariorum Teſtamenta aliter facta ipſo jure irrita fore decernit. Concilium Viennenſe uſurariam pravitatem Jure divino pariter, & humano contrariam eſſe declarat: illumque hæreticum eſſe, ac velut hæreticum puniendum, qui pertinaciter affirmaverit, exercere uſuras non eſſe peccatum. Rectores præterea Communitatum, aut Judices, qui per Statuta, aut Decreta ſua uſurarum exactionem approbant, cum ſcilicet, aut uſuras creditoribus ſolvendas eſſe decernunt, aut debitores a repetendis uſuris impediunt, graviter peccare, & in Sententiam Excommunicationis incurrere declarat. Denique creditores ipſos Cenſura Eccleſiaſtica compellendos eſſe ad exhibendos rationum ſuarum codices, cum de uſuris agetur, ut de uſuraria pravitate convinci poſſint. Concilium denique Lateranenſe ſub *Leone X.* Seſſione 10. Uſuras Domini præcepto prohibitas perſpicue declarat. *Dominus noſter*, inquit, *Luca Evangeliſta atteſtante, aperto nos præcepto obſtrinxit, ne ex dato mutuo quidquam ultra ſortem ſperare debeamus: ea enim eſt propria uſurarum interpretatio, quando videlicet ex uſu rei, quæ non germinat, nullo labore: nullo ſumptu, nullove periculo, lucrum fœnuſque conquiri ſtudetur.*

De uſuris.

Quamobrem jure optimo inter alias Propoſitiones pravi dogmatis, hanc etiam ordine quadrageſimam ſecundam *Alex. VII.* Pontifex Maximus damnavit anno Domini 1667. *Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.* Et *Innoc. XI.* anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, hanc Propoſitionem ordine pariter quadrageſimam ſecundam confixit: *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tamquam ex juſtitia debitum.*

Propoſitiones damnatæ.

Eaſdem Propoſitiones Conventus generalis Cleri Gallicani anno 1700. damnavit, ut continentes *Doctrinam falſam, ſcandaloſam, cavillatoriam, in praxi pernicioſam, palliativam uſurarum, verbo Dei ſcripto, ac non ſcripto contrariam, Conciliorum, ac Pontificum Decretis ſæpe damnatam.*

Uſura Jure etiam civili, & Regiis conſtitutionibus prohibita.

II. Jure etiam Civili, Regiiſque Conſtitutionibus prohibita uſura eſt. Teſtis *Marcus Cato* Lib. *De Re Ruſtica*, in Proœmio: *Majores noſtri*, inquit, *ſic habuerunt, & ita in Legibus poſuerunt, Furem dupli condemnari, Fœneratorem quadrupli oportere: quanto pejorem civem exiſtimaverint fœneratorem, quam furem, hinc licet exiſtimare.* Teſtis *Cornelius Tacitus* Lib. 5. Annalium: *Sane ventum Urbi funebre malum, & ſeditionum, ac diſcordiarum cauſſa creberrima, eaque cohibebatur antiquis quoque, & minus corruptis Moribus. Nam primo duodecim Tabulis ſancitum eſt, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletum agitaretur; dein rogatione Tribunitia ad ſemiuncia reducta, poſtrem vetita uſura, multiſque Plebiſcitis obviam itum fraudibus, quæ toties repreſſæ miras per artes rurſum oriebantur.* Legem ad populum tulit *Genutius* Tribunus Plebis, ne omnino fœnerari liceret: paullatim vero deinde ſuccreſcens iterum fœnus Cæſar ſuccidit. Itaque Romani variis temporibus fœnus prohibuerunt, & cum fœnebre malum e Republica tollere omnino non poſſent, illud, quantum fieri potuit, latis Legibus coercuerunt. Veterum Francorum Legibus. cap. 129. Uſurarum iniquitas damnatur his verbis: *Fœnus eſt injuſtum, ſi quis aliquid præſtat, & requirit amplius.* Lib. 1. Capitularium cap. 125. lib. 5. cap. 36. lib. 6. c. 201. *S. Ludovici* Conſtitutione anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quarto edita, item *Philippi IV.* Conſtitutionibus anno milleſimo trecenteſimo undecimo, & duodecimo editis, uſurarum genus omne proſcriptum eſt, omneſque ficti contractus, qui colore quæſito uſuram fovent, prohibiti. *Philippus VI.* anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono, *Ludovicus XII.* anno milleſimo quingenteſimo decimo, *Franciſcus I. Carolus IX. Henricus III.* anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto, & in Comitiis Bleſeenſibus, articulo ducenteſimo ſecundo, uſuram omnem, ac fænus prohibuerunt, pœniſque graviſſimis fæneratores coercuerunt, fænus non ſolum juri naturali, ſed etiam divino, & canonico contrarium, ipſique Reipublicæ, ac privatis hominibus pernicioſum agnoſcentes.

De uſuris.

Jus quidem Romanum uſuras aliquatenus permiſit, ac toleravit, ſed non probavit. Cum enim Imperatores Chriſtiani, fænus, & uſuram omnino tollere non poſſent, uſuræ, fænorique modum & fœneratorum cupiditati frænum, quantum quidem tempora illa pati poterant injecerunt. *Baſilius Macedo* uſuram omnem e finibus Imperii eliminare Conſtitutione ſua tentaverat; ſed *Leo* Imperator, publicis neceſſitatibus cedens, quod homines ſpe lucri mutuo percipiendi deſtituti ad pecuniam mutuo dandam indigentibus immites, atque difficiles ſe præberent, uſuram moderatam permittere coactus eſt, declarans nihilominus uſuram, utpote divinæ legi contrariam a Parente ſuo merito prohibitam, atque damnatam, ut conſtat ex Novella 83. ejuſdem *Leonis* Imperatoris. Hinc *S. Aug.* Ep. 153. alias 54. ad *Macedonium* ait: *Quid dicam de uſuris, quas etiam ipſæ Leges, & Judices reddi jubent? An crudelior eſt, qui ſubtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem fœnore? Hæc, atque hujuſmodi male utique poſſidentur, & vellem reſtituerentur; ſed non eſt quo Judice repetantur.*

Et *S. Thomas*, 2. 2. q. 88. art. 1. in Reſponſione ad 3. *Leges humanæ*, inquit, *dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ utilitates impedirentur, ſi omnia peccata diſtricte prohiberentur pœnis adhibitis. Et ideo uſuras lex humana conceſſit; non quaſi æſtimans eas eſſe ſecundum juſtitiam, ſed ne impedirentur utilitates multorum. Unde in ipſo Jure Civili dicitur* (nempe Lib. 2. *Inſtitutionum*, Tit. 4. *De Uſufructu*, §. *Conſtituitur*) quod *Res, quæ uſu conſumuntur, neque ratione naturali, neque civili recipiunt uſumfructum*: & quod *Senatus non fecit earum rerum uſumfructum: nec enim poterat; ſed quaſi uſumfructum conſtituit*, concedens ſcilicet uſuras. Jus igitur Civile moderatum fœnus, & moderatam uſuram permiſit tamquam minus malum, ut gravius incommodum vitaretur, non vero ut aliquid honeſtum, ac juſtum.

Interuſurium, ſeu ſucceſſivus uſus pecuniæ Molinæi figmentum eſt.

Fruſtra vero *Molinæus* objicit, ad compenſandum uſum ſucceſſivum pecuniæ, quem *Interuſurium* vocat, & quo privatur creditor, illum jure a debitore exigere aliquid ultra ſortem. Interuſurium enim illud, ſeu ſucceſſivus uſus pecuniæ, merum figmentum eſt. Cum enim pecunia inſtituta ſit ad commutationes, ſuoque ſtatim uſu diſtrahatur, & permutatione quodammodo extinguatur, ut loquitur *Juſtinianus* Lib. 2. *Inſtitutionum*, Titul. 4. *De Uſufructu*, uſus pecuniæ unicus, ac momentaneus eſt. Præterea, finis pecuniæ eſt, ut ſit menſura, pretiumque rerum venalium: non eſt autem rerum venalium menſura, pretiumque, niſi diſtrahatur; quod quidem non ſucceſſive, ſed ſimul, & ſemel, ac unico actu fit. Quemadmodum ergo uſusfructus conſtitui non poteſt in ipſa pecunia, ceteriſve rebus, quæ uſu conſumuntur, cum id neque naturalis nec civilis ratio patiatur, ut ait *Juſtinianus*: ita nec interuſurii, ſeu ſucceſſivi uſus pecuniæ exigi, aut percipi compenſatio poteſt, cum id contra naturam ſit.

Nec refert, quod Jus Civile *Interuſurium*, ſive uſum ſucceſſivum pecuniæ agnoſcere videatur. Dupliciter enim uſum pecuniæ Jus Civile ſpectat, primo quidem per ſe, ac ut ſeparatum ab induſtria utentis pecunia: Secundo, ut conjunctum, & quaſi commixtum cum induſtria ejus, qui pecunia utitur. Primo modo ſpectatum uſum pecuniæ momentaneum eſſe Jus Civile declarat, cum pecunia ſuo ſtatim uſu diſtrahatur, & conſumatur. Secundo modo ſpectatum, quaſi ſucceſſivum eſſe ſignificat, ratione induſtriæ hominum, qui ad lucrum, & quæſtum faciendum illa utuntur. Porro cum induſtriæ, & operæ uſus in ſolidum pertineat ad debitorem, ipſique ſoli induſtria ſua fructuoſa eſſe debeat, non

De uſuris.

poteſt creditor juſte ab eo exigere aliquid ultra ſortem eo nomine, quod pecuniam mutuo acceptam in prædia fructuoſa, aut in negotiationem converterit; ſiquidem pecuniæ mutuo acceptæ dominus eſt, ejuſque periculum, ac damnum omne ſuſcepit: adeoque æquum eſt, ut totum lucrum impenſis ſuis, periculo, opera, induſtria factum percipiat, nulla ejus parte ad creditorem ex pacto derivata.

ARTICULUS IV.

Objectiones ab Uſura, fœnoriſque Patronis diluuntur.

Objiciunt primo, Rationem prohibendæ uſuræ, ſeu lucri mutuo percipiendi, ex ſterilitate pecuniæ ſumptam, futilem eſſe: ſiquidem nec ex ipſo rerum frugiferarum, v. g. granorum mutuo aliquid ultra ſortem percipere liceat.

Reſpondetur. Quamvis pecunia, & grana, ſeu ſemina in hoc diſtinguantur, quod pecunia ſuapte natura ſit ſterilis, non ita ſemina, ſive grana, in hoc tamen conveniunt, cum mutuo dantur, quod ſterilia evadant. Cum enim tranſeant in dominium debitoris, in illius dumtaxat commodum, & emolumentum cedere debet fructus omnis, ſeu lucrum ex illis partum, ſecundum illam Juris Regulam: *Res fructificat domino.*

Objiciunt ſecundo, Falſam eſſe rationem contra fœnus proferri ſolitam, quod *In mutuo venditur, quod non eſt.* Prædium enim, v. g. ex pecunia mutuo accepta comparatum, eſt aliquid ſolidum, ac ſubſiſtens. Quamvis igitur pecunia non ſubſiſtat in ſpecie, certe ſubſiſtit in prædio æquivalente, ut fert natura commercii, falſo itaque dicitur id vendi, quod eſſe deſiit, quamdiu emptum prædium ſubſiſtit.

Diſcrimen inter res locatas, & pecuniam mutuo datam.

Reſpondetur, Pecuniam mutuo datam eſſe deſiiſſe creditoris, & quoad dominium, & quoad uſum. Sive enim penes debitorem in ſpecie remaneat, ſive in rem alteram, eamque ſolidam, & conſiſtentem fuerit commutata, reſpectu creditoris ſe habet quaſi eſſe deſiiſſet, ſiquidem ejus amplius non eſt: ideoque cum lucrum ex pecunia mutuo data percipit, rem, quæ habito ad eum reſpectu eſſe deſiit, revera vendit.

Objiciunt tertio. Quemadmodum uſus domus, ſupellectilis, equi immo & pecuniæ ad oſtenſionem, vel ad oppignorationem conceſſæ vendi poteſt: ita, & uſus pecuniæ mutuo datæ.

Reſpondetur, Falſum eſſe conſequens, ob diſcrimen, quod res inter locatas, & pecuniam mutuo datam intercedit. In locatione enim uſus a dominio diſtinguitur; unde quamvis rei locatæ dominium retineatur, ejus tamen uſus juſte vendi poteſt: verum aliter ſe res habet in Mutuo, in quo rei mutuo datæ dominium ad debitorem cum uſu transfertur: nihil ergo percipere licet creditori ex uſu rei, cujus non eſt amplius dominus. Cum ergo ſignata pecunia locatur, ſuam quodammodo naturam, ac proprietatem exuit: ſiquidem tunc non ſpectatur velut nummus ad commutationes faciendas inſtitutus, ſed veluti quoddam mobile, cujus uſus ab ipſa re diſtinguitur: cujus proinde dominium ad conducentem non tranſit, ſed penes locantem remanet. Ideoque lucrum aliquod propter operas in eo dando, & recipiendo ſubeundas, vel etiam ob amiſſionis periculum percipere juſte poteſt. Si enim pecuniæ conductor debitam adhibeat conductitiæ pecuniæ cuſtodiendæ curam, & nihilominus improviſo caſu pereat, locanti perit, ſiquidem ejus dominium retinuit, ſecundum illud Juriſperitorum effatum, *Res perit domino.* Quod ſi pecuniam locaret ſuam, qui mu-

De uſuris.

tuo dat, ſequeretur, debitorem non poſſe diſtrahere, & conſumere pecuniam mutuo acceptam, cujus nempe non eſſet dominus: ſicut nemo diruere poteſt domum ſibi locatam. Sequeretur ſecundo, pecuniam mutuo acceptam creditori perire, non debitori, ſiquidem *Res Domino perit*. Hanc Reſponſionem confirmat *S. Thomas*, 2. 2. qu. 78. ad ſextum. *Uſus principalis vaſorum argenteorum*, inquit, *non eſt ipſa eorum conſumptio: & ideo uſus eorum poteſt vendi licite, ſervato dominio rei. Uſus autem principalis pecuniæ argenteæ eſt diſtractio pecuniæ in commutationes; unde non licet uſus ejus vendere, cum hoc quod aliquis velit ejus reſtitutionem, quod mutuo dedit. Sciendum tamen, quod ſecundarius uſus argenteorum vaſorum poſſet eſſe commutatio: & uſum talem non liceret vendere. Et ſimiliter poteſt eſſe aliquis ſecundarius uſus pecuniæ argenteæ, utpote ſi quis concederet pecuniam ſignatam ad oſtentationem, vel ad ponendum loco pignoris: & talem uſum pecuniæ licite homo vendere poteſt.*

Objiciunt quarto. Contractus in conſtituendis cenſibus annuis celebrari ſolitus eſt merum mutuum: nec tamen illicitus eſt: licet igitur contractum inire, quo ex mutuo aliquid ultra ſortem percipiatur.

Contractus conſtitutionis cenſus annui ab uſura ſunt immunes.

Reſpondetur, Falſam eſſe primam propoſitionem. Conſtitutio enim annui cenſus non eſt mutuum fœneratitium, ſed verus venditionis, & emptionis contractus, quo magna pecuniæ ſumma ſemel numerata, & ſoluta, jus emitur percipiendæ annuæ penſionis, ſeu annui redditus. Qui autem hunc cenſum emit, (ſive ſuper re frugifera, ſive ſuper perſona, quæ opera, & induſtria ſua fructum facere poſſit, aut bona habeat, vel proxime habitura ſit ad cenſum ſolvendum ſufficientia: ſive ſuper re ſimul, & perſona conſtituatur, ita ut re pereunte, perſona nihilominus obligata maneat ad cenſum ſolvendum,) qui, inquam, hunc cenſum emit, ſortem in perpetuum alienat, eamque ſic in alterum transfert, ut ipſi non liceat illam repetere, neque compellere poſſit venditorem ad eam refundendam, ſed ſolum ad ſolvendum annuas penſiones, ad quas percipiendas emptor jus acquiſivit numerato pretio. Ea porro mutui natura eſt, ut ſors, ſive ſumma capitalis repeti poſſit, cum creditor illius dominium in debitorem non transferat, niſi ea lege, ut ſibi reddatur. Quamobrem in cenſus annui conſtitutione mutuum omnino nullum, ne virtuale quidem, intercedit. Contractus igitur illi conſtitutionis cenſus, ab uſuræ, fœnoriſque labe ſunt prorſus immunes, ſi debitis conditionibus comitentur. Nec refert, quod emptor poſt longam annorum ſeriem tandem plus accipiat quam dederit; quod enim recepit ultra ſortem, non recepit ex mutuo, ſed ex emptione. Alioquin agrorum, vel prædiorum emptio fœneratitia eſſet, ſiquidem fructus ab emptore tractu temporis percepti ſortem, ſeu pretium, quo prædium emptum eſt, ſuperant. Hujuſmodi contractuum æquitatem *Martinus V.* & *Calixtus III.* Pontifices Maximi approbarunt editis Conſtitutionibus, quæ inter Extravagantes communes leguntur cap. *Regimini*, primo, & ſecundo. Tit. *De emptione, & Venditione*. Nec iſtorum tamen Pontificum

Certæ conditiones ad legitimam cenſus annui conſtitutionem requiſitæ.

tempore primo invaluerunt; ſed in Polonia, & Germania recepti erant ex omni hominum memoria, ut iidem Pontifices teſtantur. Certæ tamen conditiones concurrant neceſſe eſt, ut illi contractus ab omni uſuræ labe, ac ſuſpicione immunes ſint, ac juſti. Prima, & præcipua eſt, ut pretium ſit juſtum, quale cenſetur illud, quod Lege, ſeu Regiis Conſtitutionibus definitum eſt. Secunda conditio eſt, ut venditor rem unam, aut plures deſignare poſſit, ſuper quibus cenſus conſtituatur, quæ quidem ſint fructiferæ, tantique valoris, ut ad cenſum hujuſmodi quotannis ſolvendum ſufficiant; nec aliis cenſibus, aut oneribus ſint impeditæ, alioquin venderetur id, quod non eſt, aut quod non po-

reſt vendi. Sicut enim ille, qui emit prædia, aut pecora ab his, qui non habent, aut plura quam habent, eaque ſic empta eiſdem locat, uſurarius eſt; ita qui emit cenſum ſuper prædio, quod non eſt, aut cujus proventus cenſum non adæquant conſtitutum, emit, quod non eſt. Quod cum nemo emptor ſincere, & conſiderato faciat, fictus eſt emptionis contractus, uſuraque palliata. Tertia conditio eſt, ut res, ſuper qua cenſus conſtituitur, ſit in libera diſpoſitione conſtituentis; *Nemo enim plus juris in alterum transferre poteſt, quam ipſe habeat*, ubi dicitur cap. *Nemo poteſt*, Tit. *De Juris Regulis*, in Sexto. Ideoque non poteſt maritus ſine uxoris conſenſu conſtituere cenſum in fundo dotali. Quarta conditio in cenſu mere reali neceſſaria eſt, ut ſi res, ſuper qua cenſus eſt conſtitutus, pareat, aut ſterilis evadat ſine culpa cenſuarii, ſive in totum, ſive pro parte, ceſſet, vel in totum, vel pro rata parte obligatio cenſus. At vero ſi cenſus ſit perſonalis, aut mixtus, itaut res locum habeat pignoris, ſeu hypothecæ, cenſus non extinguitur pereunte re, ſuper qua conſtitutus eſt, cum ea ſit natura pignoris, & hypothecæ, ut etiamſi perierint, debitor tamen ad ſolvendum maneat obligatus. Quinta conditio eſt, ut venditor cenſus poſſit eum redimere, & extinguere, cum libuerit, ſed ab emptore cogi non poſſit ad redimendum, ſeu ad refundendam ſummam capitalem, ſingulis penſionibus in ſortem non computatis. Pacto enim iſto intercedente, fictus eſſet emptionis, verus Mutui contractus; & qui emptoris nomen ſibi ſumeret, de recipienda ſorte, & annuis inſuper penſionibus ſecurus, lucrum ex Mutuo revera perciperet, adeoque in uſuræ crimen incurreret. Sexta conditio eſt, ut ſolutiones anticipatæ penſionum ex pacto non fiant, vel exigantur, id eſt, ne penſio, ſive cenſus exigatur niſi ratione temporis elapſi. Si enim emptor, dum pretium numerat, detraheret ex eo penſionem primi anni, quæ non debetur niſi anno expleto, Uſuram committeret. Et hæ quidem conditiones jure naturæ neceſſariæ ſunt. Alias conditiones addunt *Martinus V. Calixtus III.* & *S. Pius V.* non eodem jure neceſſarias, nec ubique uſu receptas. In iis denique Conſtitutionibus cenſuum ſervandæ ſunt conditiones Legibus, ſeu Regiis Edictis, vel Municipalibus Conſuetudinibus præſcriptæ, alioquin contractus irriti erunt. In Galliis jure optimo cautum eſt, ut cenſus creetur numerata pecunia, ſolutoque juſto, & integro pretio coram Notario, ipſo tempore, quo fit contractus, quæ & una eſt e conditionibus a *S. Pio V.* præſcriptis, ad fraudes uſurariorum præcavendas.

In emptione cenſus vitalitii amplior penſio exigi non poteſt quam ſit Regiis conſtitutionibus definitum.

Ceterum quamvis emptio cenſus temporalis, & vitalitii non minus licita ſit, quam cenſus perpetui, eaſdem tamen conditiones poſtulat, nec amplior penſio exigi poteſt, quam ſit Regiis Conſtitutionibus definitum, alioquin nulli ſunt contractus, & irriti, atque etiam in conſcientiæ foro illiciti, & ad ſortem refundendam emptori, vel ejus hæredibus, deductis tamen penſionibus, quæ ſecundum Regiarum Conſtitutionum tenorem percipi debuerunt, ac revera perceptæ ſunt, venditor obligatur, etiamſi pactum interceſſerit, ut ſors, ſive fundus extinguatur, ac pereat moriente emptore. Nec Religioſa Sodalitia, vel Communitates quælibet, aut Collegia, vitalitios contractus hoc pacto conſtituere poſſunt abſque iniquitate, niſi id Privilegiis a Rege ipſis conceſſum eſſet, ut Xenodochiis quibuſdam, ſive Hoſpitalibus in gratiam puaperum conceſſum eſt; quia Regiis Conſtitutionibus parere tenemur, *Non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*; ut ait Apoſtolus, & *Per Jura Regum* poſſeſſiones habentur, ut loquitur *S. Aug.*; adeoque cenſus conſtitui, vendi, emi, poſſideri non poſſunt, niſi conditionibus, quas Regiæ præſcribunt Conſtitutiones. Præterea, Communitates, vel Sodalitia, quæ vitalitios hujuſmodi cenſus conſtituunt, fundo (ut loquuntur) extincto, ſortem ſe recepiſſe tantam ſimulant, ac mentiuntur, quanta ad conſtituendum cenſum neceſſaria eſt ſecundum Regiarum Conſtitutionum præſcriptum; numerataque coram Notario pecunia, ſcribitur in Inſtrumento talem ſummam receptam fuiſſe a Cenſuariis, ſeu venditoribus cenſus, & tamen pars magna ſubtrahitur ex compacto ab emptore, utque fraus Regiis Conſtitutionibus facta tegatur, fundus poſt mortem Cenſitoris, ſeu emptoris relinquitur Communitati, ſive Sodalitio cenſuario, ficto donationis, vel fundationis contractu. Qua in re cum fraus, falſitas, injuſtitia manifeſtæ ſint, graviter peccant, qui communis utilitatis prætextu cenſus vitalitios eo pacto vendunt, & conſtituunt.

De uſuris.

Objiciunt quinto Uſurarum patroni, *Montes Pietatis* in Italia, & in Belgio inſtitutos fœneratitios eſſe; adeoque fœnus omne non eſſe prohibitum. Eſt autem *Mons Pietatis* ſumma quædam pecuniæ, aut aliarum rerum uſu conſumendarum, ex publico ærario, vel aliunde conflata, ut ex ea Mutuum detur pauperibus, ea lege, ut modicum quid ultra ſortem ſolvant pro Montis indemnitate, niſi aliter illi indemnitati proſpectum fuerit. His autem Montibus certæ conditiones ſunt præſtitutæ; Prima, ut Mutuum detur ad certam ſummam, determinatumque tempus, v. g. ad medium, aut integrum annum; ne, ſi ad longum tempus daretur, pauperibus omnibus Mutuum petentibus ſubveniri non poſſet. Secundo, ut Mutuum non detur ſine pignore, quia periculum foret, ne plures debitum non redderent, atque ita Montem ſuis facultatibus exhaurirent. Tertio, ut evoluto ſolutionis termino vendantur non repetita pignora, & ſi pretium illorum ſuperaverit id, quod Monti debetur ab illis, quorum erant, reſiduum ipſis reſtituatur. Quarto, ut ab iis, qui Mutuum accipiunt, modicum aliquid recipiatur ultra ſortem. Sic inſtitutos Montes Pietatis Summi Pontifices *Paulus II. Sixtus IV. Innoc. VIII. Leo X.* in Concilio Lateranenſi Seſſ. 10. approbarunt, necnon Sacrum Concil. Trid. Seſſ. 22. Uſuram itaque moderatam approbare videtur Eccleſia.

Montes pietatis ſunt fœneratitii.

Reſpondetur. Falſo aſſeri, quod Montes Pietatis ſint fœneratitii. Quod enim in iis exigitur ultra ſortem, non exigitur, & percipitur ratione Mutui, ſed pro expenſis, ut Montium indemnitati conſulatur, ut declaravit *Leo X.* Sacro approbante Concilio Lateranenſi. *Declaramus* (inquit) *& definimus, Montes Pietatis per Reſpublicas inſtitutos, & Auctoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus approbatos, & confirmatos, in quibus pro eorum impenſis, & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſervationem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, ultra ſortem, abſque lucro eorumdem Montium recipitur, nec ſpeciem mali præferre, nec peccandi incentivum præſtare; nec ullo pacto improbari, quin immo meritorium eſſe, ac laudari, & probari debere, & tale Mutuum minime uſurarium eſſe.*

De uſuris.

Objiciunt ſexto. In Cambio exigere licet aliquid ultra ſortem ob onera, quæ incumbunt campſori, ſive nummulario; quidni igitur, & in Mutuo exigi, & percipi aliquid poterit ob onera, quæ incumbunt Mutuum dantibus ob periculum ſortis, ob moleſtiam in recuperanda ſorte, ob carentiam pecuniæ, propter obligationem non repetendi ſortem uſque ad certum tempus, pro labore numerandi pecuniam, pro labore, & ſumptu mittendi pecuniam abſenti Mutuatario?

Lucrum ex cambio licitum, non ex mutuo.

Reſpondetur, Falſum eſſe conſequens; magnum quippe diſcrimen eſt inter lucrum, quod ex Mutuo, & quod ex Cambio percipitur. Qui enim in Mutuo ſolvit incrementum ſortis, ſeu uſuras, ille ipſe eſt, qui Mutuum ſumit; in Cambio vero, qui pecuniam tradit permutandam, vel tranſmittendam, mercedem aliquam ſolvit campſori ſive nummulario ob onera, quæ ipſi incumbunt, pretio certe æſtimanda; quippe qui pecuniæ varias ſpecies paratas ſemper habere debeat, collybiſticas litteras ſcribere, damnum interdum pati ob minorem valorem ſpecierum in variis regionibus, curam, laborem, periculum ſuſcipere tranſmittendi pecuniam, aſſecurandique campſario ubi habet opus; miniſtris, quorum indiget opera, mercedem ſolvere. At onera, quæ Mutuum danti incumbunt, ipſi Mutuo ita cohærent, ut ab eo ſint inſeparabilia. Quapropter ſicut Mutuum gratuitum omnino eſſe debet, ſecundum Chriſti Domini Mandatum, *Mutuum date, nihil inde ſperantes*: ita onera omnia cum Mutuo conjuncta gratis ſuſcipi debent. Et cum uſura ſit per ſe mala, ideoque prohibita Divina Lege, cujus perſpicua verba ſunt Lev. 25. *Ne accipias amplius quam dediſti .... Superabundantiam non exiges*, Ezech. 18. *Uſuram dantem, & amplius accipientem ..... Uſuram, & ſuperabundantiam non acceperit*: Eaque verba Concilia, Summi Pontifices, Patres uſurpaverint, ut externam Uſuræ actionem per ſe vetitam eſſe demonſtrarent, nulla ſubtilitas, nulla præciſio mentalis, nulla intentionis directio efficere poteſt, ut exactio, ſeu perceptio, vel ſpes, & expectatio lucri alicujus, aut acceſſionis, quantumvis moderatæ, extra ſortem, ab uſuræ labe immunis ſit.

Cambium ſiccum, ac ſimulatum uſurarium eſt, ac damnatum.

Cambii tamen genus aliquod uſurarium eſt, ac merito damnatum, ſcilicet *Cambium ſiccum*, (ut vocant) ac ſimulatum. Cum enim Cambium ſit permutatio negotiatoria pecuniæ pro pecunia, aliud *verum*, & *reale* eſt, quæ eſt vera, & legitima pecuniarum permutatio; ſive ſit permutatio pecuniarum diverſæ rationis de manu ad manum, ut aureæ cum argentea, majoris cum minutiori, vetitæ cum legitima, antiquæ cum nova, exteræ cum vernacula: quod *Cambium minutum*, ſeu *manuale* vocant, ſive ſit permutatio pecuniæ præſentis cum abſente: quod *Cambium locale*, ſive *per litteras* appellatur. Aliud Cambium eſt ſimulatum quod *Siccum* dicitur: idque verum Mutuum eſt, Cambii realis velamine obtectum, quo ſcilicet campſor alicui hic pecuniis indigenti dat ſummam pecuniæ confictis litteris ad locum diſtantem, ad quem tamen non mittuntur, cum certum habeat nullum ibi campſoris agentem reſidere, nec pecuniam illic numerandam poſtulet, ſed hic numeratam mutuetur. Quin Cambium illud falſi nominis uſurarium ſit, negari non poteſt, cum in eo detur ſumma quædam pecuniæ, ut poſtmodum tota recipiatur cum lucro, cujus exigendi, aut recipiendi nullum titulum habet campſor ille fraudulentus, qui ob ſolam temporis moram aliquid ultra ſortem exigit. Quamobrem Beatiſſimus Pontifex *Pius V.* Conſtitutione, quæ incipit, *Id cam*, Cambia ſicca damnat, quæ ita confinguntur. *Ut contrahentes ad certas nundinas, ſeu alia loca cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ii, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem ſuas cambii tradunt: ſed non mittuntur; vel ita mittuntur, ut tranſacto tempore, unde proceſſerunt, inanes referantur; aut etiam nullis hujuſmodi litteris traditis pecunia ibi denique cum intereſſe repoſcitur, ubi contractus fuerat celebratus. Nam inter dantes, & recipientes uſque a principio ita convenerat, vel certe talis in-*

De Uſuris.

tentio erat: neque quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis, hujuſmodi litteris receptis ſolutionem faciat. Cui malo ſimile etiam illud eſt, cum pecuniæ, ſive depoſiti, ſive alio nomine ficti cambii traduntur, ut poſtea eodem in loco, vel alibi cum lucro reſtituatur. Et Concilium Mediolanenſe 1. *S. Carolo Borromæo* Præſide celebratum ſexennio circiter ante quam *S. Pius V.* hanc de Cambiis Conſtitutionem ederet, p. 2. Tit. *De Uſuris*, vetat, *Ne fiant cambia, cum litteræ ad deſtinatum locum vere non mittuntur, & ibi non fit ſolutio, ſed uno, & eodem loco pecunia datur, & recipitur: vel quando dantur, & accipiuntur pecuniæ cum eo pacto, ut habeatur recurſus ad dominum, vel ad Reſpondentem dantis, aut accipientis (quod pactum vulgo vocant* Laricorſa) *Atque in impenſæ, aut alterius rei onus imponitur.*

Objiciunt ſeptimo, Lege Dei vetitum non eſſe recipere aliquid in compenſationem, ſeu potius recognitionem beneficii, gratique animi ſignum: acceſſionem itaque ad ſortem ex mutuo percipi poſſe, modo non recipiatur ratione mutui, & tamquam debitum ex juſtitia.

Reſpondetur, Acceſſionem omnem ad ſortem ex mutuo perceptam, aut ſperatam Divina Lege prohiberi: *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. Quod ultra ſortem percipitur, aut ſperatur, non eſſe, vel certe non ſperari, ut gratuitum munus, ſi exigatur, vel ita expectetur, ut avarus creditor mutuum non daret, ſpe muneris illius percipiendi deſtitutus. Unde *S. Hieronymus* in c. 18. Ezechielis ait: *Alii pro pecunia fœnerata ſolent munuſcula accipere diverſi generis: & non intelligunt uſuram appellari, & ſuperabundantiam quicquid illud eſt, ſi ab eo, quod dederint, plus acceperint.*

Objiciunt octavo: Uſura moderata, ſeu mutuum cum honeſta ſortis acceſſione inter homines divites, & negotiatores exerceri ſolitum, proximo eſt utile, Reipublicæ commodum: iis, qui mutuum accipiunt datur opportunitas rem ſuam familiarem amplificandi; Negotiatoribus adminiculum præbetur ad continuandum, augendumque commercium, quo Regna, & Reſpublicæ maxime effloreſcunt.

De Uſuris.

Lex Dei ad utilitates noſtras non eſt inflectenda, ſed ſecundum illam judicandum an juſtum ſit quod nobis commodum videtur.

Reſpondetur, Non ſolum caritatis, ſed & juſtitiæ, virtutumque ceterarum habendam eſſe rationem. Cum autem in mutuo aliquid accipitur ultra ſortem, ampliuſque exigitur quam datum ſit, manifeſte violatur juſtitia, quia violatur æqualitas. Sed & in caritatem peccatur, quia (ut ait *S. Joannes Chryſoſtomus*, Homilia 43. in Epiſtolam primam ad Corinthios) *In pecuniis nequit fieri, ut quiſpiam evadat dives, niſi alius prius factus ſit pauper.* Quamobrem ſi Mutuum Negotiationis (ut vocant) aliquibus utile, aliis certe incommodum eſt. Præterea, non ad utilitates noſtras commodaque temporalia, Lex Dei inflectenda eſt, ſed ſecundum illa judicandum an juſtum ſit, quod nobis utile, commodumque videtur. Prohibet Deus in mutuo *amplius* accipere quam datum ſit, *ſuperabundantiam* exigere: jubet Chriſtus, ut mutuum gratis detur, *Mutuum date nihil inde ſperantes*; nulla Pauperum, ac divitum, nulla mutui caritatis, & mutui negotiationis diſtinctione facta. Sileat Deo jubente cupiditas. *Quid revolvis? Deus præcipit*; (inquit Tertullianus) *Ad exhibitionem obſequii prior eſt Majeſtas Divinæ Poteſtatis: prior eſt auctoritas imperantis, quam utilitas ſervientis.* Factitando, & augendo commercio quærantur, præbeanturque adminicula, ſed non per malas artes, per cupiditatem, fraudes, mendacia, uſuras, quæ negotiationem polluunt, negotiatores Deo exoſos faciunt; adeo ut Patres mercaturam animarum ſaluti periculoſiſſimam judicaverint, quamquam id non ipſius mercaturæ, ſed hominum vitium ſit. *Ignoro ſi hæc faciens, (ideſt, maria navigans) juſte patrimonium poſſit augere*; (inquit *S. Joannes Chryſoſtomus* Hom. 24. in Matthæum.) *Eccleſia Negotiatores non admodum probat, ſed in omnium infimo loco conſtituit* (inquit *S. Epiphanius*, in Expoſitione Fidei Catholicæ, quæ coronis eſt Librorum adverſus Hæreſes; c. 24.) Denique ſi in recipienda pecunia ad uſuram diſpenſatio fieri non poteſt, ut pauperes, qui in Saracenorum captivitate detinentur, per eamdem poſſint pecuniam liberari, quia *Uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtatur*; ut reſpondet *Alexander III.* c. *Super eo*, Ext. *De Uſuris*: multo minus licet in mutuo negotiationis, & commercii (ut vocant) aliquid ultra ſortem exigere, ac percipere, quamtumvis id utile ſit ad commercium continuandum, & augendum.

Lib. De Pœnitentia, c. 5.

Uſura Reipublicæ perniciosa.

Quod autem aſſerunt uſuræ, fœnoriſque patroni, uſuram eſſe Reipublicæ utilem, falſiſſimum eſt: quinimmo Reipublicæ perniciosiſſima cenſeri debet, cum ab utilibus, ac neceſſariis artibus, & negotiis homines abducat negotium fœneratitium, quo nullum facilius eſt, certioriſque lucri. Præterea, negotio fœneratitio Reipublicæ ſtatus perturbatur; cum æqualitatem dati, & accepti non ſervet; ut neceſſe ſit, creditores creſcere, debitores minui, omniumque facultates tractu temporis a fœneratoribus exhauriantur. Unde Gallicani Præſules in Conventu Melodunenſi congregati ajunt; *Uſuram lienis inſtar inflati, & totum corpus macidum efficientis, omnem Rempublicam enervare.* Et Concilium Lugdunenſe 2. ſub Gregorio X. *Uſurarum voraginem, quæ animas devorat, & facultates exhaurit*, compeſcere cupiens, Conſtitutionem Lateranenſis Concilii contra uſurarios præcipit inviolabiliter obſervari. Tertio, grave onus in cives redundat ex negotio fœneratitio; cauſſa ſiquidem eſt, cur res ad vitam neceſſariæ majori pretio vendantur, quam venderentur, propter paucorum fœneratorum cupiditatem. Denique, ut multa paucis complectar, privatis quibuſque Reipublicæ membris, qui mutuo indigent, fœneratitium negotium incommodum, & pernicioſum eſt, ſolis fœneratoribus utile. Quod egregie *S. Ambroſius* oſtendit Libro *De Tobia*, c. 5. *Non novit pecunia fœneratoris uno diutius loco ſtare*, inquit, *ſolita tranſire per plurimos. Uno teneri ſacculo neſcit, verſari, ac numerari expetit: uſum requirit, ut acquirat uſuram. Fluctus quidam eſt maris, non fructus. Pecunia numquam quieſcit. Labitur, velut ſcopulo illiſa, ita gremium debitoris percutit, & continuo relabitur eo unde proceſſit: Cum murmure venit, cum gemitu revertitur. Frequenter tamen placidum ſtat ventis mare, ſemper fœnoris unda jactatur. Mergit naufragos, expuit nudos, veſtitos exuit, inſepultos relinquit. Nummum ergo petis, & naufragium ſuſcipis.* Et c. 13. *Pecunia fœnebris hodie ſeminatur, cras fructificat: ſemper parit, & numquam interit: ſemper plantatur, vix evellitur. Vult ſemper fœnerator acquirere, numquam perdere: numquam cuſtodire pecuniam ſuam, ſemper expellere: numquam ſanare, ſemper occidere .:.. Creſcit ſemper pecunia, otium neſcit avaritia, neſcit uſura ferias. Omnes torrentes vadunt in mare, & mare non adimpletur: mare iſtud fœnerator eſt, omnium patrimonia tamquam fluctus abſorbet; & ipſe neſcit expleri. Mari tamen plerique utuntur ad quæſtum, fœneratore nemo utitur niſi ad diſpendium: illic multorum commodum eſt, hic univerſorum naufragium.*

De Uſuris.

Eccl. 1. 7.

Objiciunt nono, Lucrum ex pecunia mercatori commiſſa licite ſperari, ac percipi: quidni ergo (inquiunt) & de pecunia eidem mutuo data; cum mutuum illud ſpeciem quamdam ſocietatis habeat?

Reſpondet, *S. Th.* 2. 2. q. 78. art. 2. ad quintum, Diſcrimen in eo eſſe poſitum, quod *Ille, qui mutuat pecuniam, transfert dominium pecuniæ in eum, cui mutuat: unde ille, cui pecunia mutuatur, ſub ſuo periculo tenetur eam reſtituere integre. Unde non debet amplius exigere ille, cui mutuavit. Sed ille, qui committit pecuniam ſuam, vel mercatori, vel artifici per modum ſocietatis cujuſdam, non transfert dominium pecuniæ ſuæ in illum, ſed remanet ejus; ita quod cum periculo ipſius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur: & ideo ſic licite poteſt partem lucri inde provenientis expetere, tamquam de re ſua.*

Objiciunt decimo. Licet pauperi mutuum fœneratitium accipere ad inopiam ſuam ſublevandam: licet igitur & mutuum fœneratitium dare, ut fœnerator imminentem penuriam a familia ſua avertat.

Nulla neceſſitas licitum facit vel excuſat quod per ſe malum eſt.

Reſpondetur, Falſum eſſe conſequens; uſuram enim, ſeu aliquid ultra ſortem ex mutuo exigere, vel percipere, lex naturalis, & divina vetat, ac per ſe malum, mortaleque peccatum eſt, quod nulla neceſſitas licitum facit, vel excuſat, cum mori potius Chriſtianus debeat, quam Deum offendere. Unde *Tertullianus* Libro *De Corona Militis*, Cap. 11. ait: *Non admittit ſtatus fidei neceſſitates. Nulla eſt neceſſitas delinquendi, quibus una eſt neceſſitas non delinquendi. Nam & ad ſacrificandum, & directo negandum, neceſſitate quis premitur tormentorum, ſive pœnarum, tamen nec illi neceſſitati Diſciplina connivet: quia potior eſt neceſſitas timendæ negationis, & obeundi Martyrii, quam evadendæ paſſionis, & implendi officii. Ceterum ſubvertit totam ſubſtantiam Sacramenti cauſſatio ejuſmodi, ut etiam voluntariis delictis fibulam laxet.* Verum uti alterius peccato ad bonum licet, modo ad peccandum non incitetur, ipſumque peccatum diſpliceat. Unde mutuum fœneratitium accipere licet indigenti ad neceſſitatem ſuam ſublevandam, ut docet *S. Th.* 2. 2. qu. 78. art. 4. *Inducere hominem ad peccandum*, inquit, *nullo modo licet: uti tamen peccato alterius ob bonum licitum eſt, quia & Deus utitur omnibus peccatis ad aliquod bonum; ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum. Et ideo S. Aug. Publicolæ quærenti, utrum liceret uti juramento ejus, qui per falſos Deos jurat, in quo manifeſte peccat, eis divinam reverentiam adhibens reſpondet, quod*, qui utitur fide illius, qui per falſos Deos jurat non ad malum, ſed ad bonum, non peccato illius ſe ſociat, quo per Dæmonia juravit, ſed pacto ejus bono, quo fidem ſervavit: *Si tamen induceret eum ad jurandum per falſos Deos, peccaret. Ita etiam in propoſito dicendum eſt, quod nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum ſub uſuris; licet tamen ab eo, qui hoc paratus eſt facere, & uſuras exercet mutuum accipere ſub uſuris, propter aliquod bonum quod eſt ſubventio ſuæ neceſſitatis, vel alterius. Sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifeſtare bona, quæ habet, (quæ latrones peccant diripiendo) ad hoc quod non occidatur.* Et in Reſponſione ad primum: *Qui accipit pecuniam mutuo ſub uſuris, non conſentit in peccatum uſurarii, ſed utitur eo, nec placet ei uſurarum acceptio, ſed mutuatio, quæ eſt bona.* Et ad ſecundum, *Qui accipit pecuniam mutuo ſub uſuris, non dat occaſionem uſurario uſuras accipiendi, ſed mutuandi. Ipſe autem uſurarius ſumit occaſionem peccandi ex malitia cordis ſui; unde ſcandalum paſſivum ex parte ſua eſt, non autem activum ex parte petentis mutuum. Nec tamen propter hujuſmodi ſcandalum paſſivum debet alius a mutuo petendo deſiſtere, ſi indigeat; quia hujuſmodi paſſivum ſcandalum*

Mutuum fœneratitium accipere licet indigenti ab eo qui paratus eſt ad fœnerandum.

De Uſuris.

non